

17  
DISPUTATIO ORDINARIA

De

PRIMATU

PAPÆ ECCLĒ-

SIAS TICO

*Exercitij publici gratiā proposita in inclytā Aca-  
demia VVittebergensi*

AUTORE & PRÆSIDE

FRIDERICO BALDUINO

S. S. Theol. D. Professore, Pastore &  
Superintendente.

RESPONDENTE

T 162 (27)  
ZACHARIA GERGANO

Ithacensi, N. Græco.

*Habebitur σὺν θεῷ horis locoque solitis  
a. d. 5. April.*

---

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS GORMANNI

---

Anno M DC XXII.



*Inclytæ Reipubl. Hamburgensis.*

**Dominis Consulibus, Pro-**  
consulibus, Syndicis, cæterisq; Se-  
natoribus.

**VIRIS**

**MAGNIFICIS, AM-**  
**PLISSIMIS, EMINENTISSIMIS,**  
Consultissimis, Prudentissimis, Autoritate Gra-  
vissimis, bonitate & humanitate ornatissimis Do-  
minis, patronisque meis Gratio-  
sissimis.

*Exercitium hoc Theologicum, Contra Αιρετικοχισ-  
μα Ἐπαπολατρῶν ἀλαζονείας τὸ Φρον directum, luben-  
ti animo obfero, dico,*

**ZACHARIAS GERGANUS Ithacen-**  
sis Græcus.

Typis JOHANNIS GÖRMANNI

MDCXXII





Σὺν Θεῷ.

De

# PRIMATU PAPÆ

## ECCLESIA.

### STICO.

## THESIS I.



Emper reperti sunt in Ecclesiâ,  
 qui non contenti munere docendi, quo  
 nihil sanctius & sublimius esse potest,  
 ambitiosâ insuper præsumptionis typho  
 perciti, primatum & imperium in alios,  
 etiam sui ordinis, affectarunt. Ea enim  
 est naturæ corruptæ indoles in homini-  
 bus, ut quò quis ratione officij sui pro-  
 pius ad divinitatem accedit, eò ferè confidentius alios, honoris  
 sui causâ, deprimere aufit. Nam ut Euripides in Hyppolito scri-  
 bit:

Ἔνεσι γὰρ δὴ καὶ αὐτῶν θεῶν γένοιτο τόδε,  
 Τιμώμενοι χάριτον ἀνθρώπων ὑπὸ. h. e.  
 Habet hoc genus Deorum veluti proprium,  
 Ut gaudeant honoribus mortalium.

Invasit hæc pestis primùm omnium augustissimum sancto-  
 rum Apostolorum collegium, qui, quoties Christus sui è mundo  
 discessus meminisset, vel cogitabant, vel inter se disceptabant,  
 quisnam ipsorum major esset, qui superioritatem præ alijs, &  
 dominium in alios, haberet, & sic Christi in regno Vicarius



esset: idq; ter ab ipsis factum legitur, *Primum* partim in itinere, partim in domo quadam Capernaica *Matth. 18, 1.* Nam cum Christus in precedentibus mortis & resurrectionis suæ mentionem fecisset *cap. 16, 22.* solliciti erant discipuli, quisnam post ejus discessum principatum esset habiturus, sicut antea Christus habebat. *Deinde Hierosolymis, Matth. 20, 20.* cum iterum mentione factâ mortis suæ, mater filiorum Zebedæi, Dominum rogavit, ut alterum filiorum suorum ad dextram, alterum ad sinistram in regno suo sedere permetteret, qui erat ambitus primatus in regno Christi; idcirco reliqui Apostoli ipsis indignabantur *v. 24.* quia eodem ambitionis morbo laborabant. *Denique in ultimâ cœnâ,* cum Christus de proditore suo ultimoque vitæ suæ termino ageret, orta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse major? *Luc. 22, 24.*

Non desunt, qui Apostolos ab ambitionis crimine absolvunt. De filijs Zebedæi scribit Auctor operis imperfecti, quod non primatum petierint, sed perfectionem pietatis in regno cœlesti. Contentionem discipulorum in ultimâ cœnâ, ait Beza, humilitatis potius fuisse, quam superbiæ, quia honore se invicem preveniendo certarint. Sed & indignatio reliquorum discipulorum *Matth. 20, 24.* & Christi responsio singulis in locis aliud evincit, quod nimirum inanis gloriæ passio animam ipsorum turbavit, ut Chrysostomus in *cap. 26. Matthæi* loquitur, ut de universali regimine Ecclesiæ, & ecumenico Pastoratu invidiosè inter se concertarent: quam dominandi libidinem Christus variis argumentis repressit, de quibus infra, suo loco.

IV.  
Agnoscit hoc ex Patribus Euthymius: Jam, inquit, certiores facti de morte magistri, inquirebant, quis eorum videretur esse major, ut caterorum fieret Magister. Ex Pontificijs Maldonatus, Cajetanus, Iansenius. Barradius quoq; licet interdum in mitiorem sententiam inclinet; negare tamen non potest, discipulos in ultimâ cœnâ de primatu in Ecclesiâ concertasse: sciebant, inquit, Christum

stum claves regni cœlorum Petro promississe, & tamen Petrum reliquis omnibus majorem esse dubitabant, quia non satis tunc verba Christi intelligebant. Omnium autem clarissime Fr. Costerus in Enchir. cap. 3. p. 137. In Evangelio, inquit, quæ fuerit mens Christi in constituendâ Ecclesiasticâ politiâ, vel ex ipsâ Apostolorum ambitione intelligitur: quoties enim Salvator discessus sui ex hoc mundo mentionem fecisset, statim vel taciti secum cogitabant, vel inter se disceptabant, quis ipsorum esset major, vel etiam quærebant, quis major esset in regno cœlorum? in Ecclesiâ nempe, quam nomine regni cœlorum toties à Christo vocari audierant, adeoq; primatus iste animis radium cogitationibusq; adhuc insidebat, ut in novissima cœna, cum auditâ mentione proditoris, & mortis instantis in errore affici debuissent, facta sit tamen contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Intelligebant enim, necessarium esse Pastorem, qui, Christo discendente, universo gregi præffet. &c.

V.

Post Apostolorum tempora, aliquandiu summa Episcoporum ubique fuit æqualitas, omnes erant ejusdem meriti, ejusdem sacerdotij, & communi presbyterorum consilio Ecclesiæ regebantur, dicente Hieronymo in Epistolâ ad Evagrium: Romano autem Episcopo in hac æqualitate propter loci dignitatem primas tribuebant. Quod etsi tantum ordinis & honoris gratiâ fieret; repertus tamen est ex Romanis Episcopis unus, qui prærogativam ordinis, in potestatem jurisdictionis convertit, quam in exterarum Ecclesiarum Episcopos exercere ambiciose ausus est.

VI.

Fuit is Victor in ordine Pontificum Romanorum decimus quintus (ut ipsi quidem numerant) qui antecessoris sui Pij I. sanctionem de celebrando Paschate post decimam quartam Lunam primi mensis adeo mordicus defendit, ut Ecclesias Orientales hoc in genere dissentientes excommunicare statueret, quo nomine nõ tantum ab Jrenæo Episcopo Leonensi, & à Polycrate Episcopo Ephesino, aliâs hoc in genere ἐμὸς ἡ πόλις: sed & à multis latinis Episc: graviter reprehensus fuit, referente Eusebio lib. 5. hist.



*Ecclesiast. cap. 23. & seqq.* Hoc nimirum erat primatum affectare, & dominium in exteris Ecclesiis, si non modis alijs, per excommunicationem tamen exercere velle, quod factum est circa annum Christi 197.

VII.

Simili excommunicationis fulmine sequenti seculo uti conatus est Stephanus I. Episcopus Romanus contra Helenum & Firmilianum, omnesq; eos, qui per Ciliciam, Cappadociam & Galatiam hæreticos rebaptisabant. Sed conatibus ejus resistit Dionysius Alexandrinus, in primis autem Cyprianus in epistolâ ad Pompejum, ubi Stephanum ex contumaciâ & præsumptione pravam consuetudinem defendere ait; & in epistolâ ad Quintinum, Stephanum perstringit, eiq; exemplum Petri proponit: *Nec Petrus (inquit) quem primum Dominus elegit, & super quem edificavit Ecclesiam suam, cum Paulus disceptaret, de circumcissione, se vindicavit, seu aliquid insolenter aut arroganter assumpsit, ut diceret, se primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi potius oportere.* Vide centur. 3. Magdeburgensium cap. 7. Agnovit ergo sanctus vir. excommunicationem illam Papalem in exteris Ecclesiis speciem primatus habere,

VIII.

Postea tempore Concilij Niceni, quod in annum 325. incidit, constitutus est singularum provinciarum Episcopus unus, qui in omnes ejusdem provinciæ Episcopos inspectionem haberet, ut disciplina Ecclesiastica rectius conservaretur. Horum erant quatuor, quos metropolitanos, Patriarchas & Archiepiscopos nominabant. Inter hos primus erat Episcopus Romanus, secundus Alexandrinus, tertius Antiochenus, quartus Hierosolymitanus. Horum omnium æqualis erat potestas; ordinis saltem gratiâ Romanus Episcopus primum in Concilij locum habebat, idq; propter urbis Romæ majestatem, quæ sedes imperij & domicilium Imperatorum erat, ut ex can. 28. Concil. Chalcedonens. patet. Potestas autem ipsi in reliquarum provinciarum Episcopos nulla competebat. Nam can. 6. Concilij Niceni expressè sancitur, *non majorem esse Episcopi Romani potestatem, quàm Alexandrini, Antiocheni Hierosolymitani.* Quem canonem Concilium Con-

stanti-



stantinopolitanum repetiit, & confirmavit, cum expressâ prohibitione, ne Episcopi ad Ecclesias, quæ sunt ultra suam dioccesin, accederent, neve Ecclesias confunderent, sed secundum canones Alexandria Episcopus Ægyptum solummodo regeret, Orientis autem Episcopi orientem solum gubernarent, & ita consequenter cæteri Archiepiscopi suis in provinciis. Idem in Concilio Carthaginensi tertia repetitum fuit, ubi talis extat canon, in ordine vigesimus sextus: *Primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos, aut aliquid aliud hujusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus: universalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur.*

**IX.**

Et si verò à Patribus Conciliorum satis prudenter cautum fuit, ne ista ordinis prærogativa quandam primatûs potestatem importaret; prævaluit tamen ambitio Episcopi Romani, qui cum se ab omnibus, ut primæ sedis Episcopum, honorari videret, istum ordinis primatum in potestatem jurisdictionis convertere ausus fuit; quam ad rem notorio falsi crimine uti non erubuit.

**X.**

Nam cum anno Christi 420. concilium Carthaginense sextum in Africâ celebraretur, misit ad patres Concilij Zozyms Papa Romanus *Faustinum* Episcopum Potentinum, cum duobus Ecclesiæ Romanæ Presbyteris *Philippo* & *Asello*, per quos extorquere voluit, ut liceat Episcopis & Sacerdotibus à sententiâ suorum Metropolitanorum, aut etiam Synodi ad sedem Apostolicam Romanam appellare. Quod ut facilius impetraret, Nicenam synodum hoc privilegium Romano Pontifici concessisse prætendit, producto supposititio Canone, qui ne hodiè quidem vel in latinis vel in Græcis Nicenæ Synodi canonibus reperitur, imò contrarium planè extat can. 6. qui Romano Episcopo in suâ tantum diocesi primum locum tribuit.

**XI.**

Inquisiverunt Patres Concilij Carthaginensis, inter quos & Augustinus erat, lumen illud orthodoxorum Patrum, in acta Concilij Niceni, ex quibus *Alypius* Episcopus Tagastensis legatus pro-

provinciae Numidia primus postalato Pontificis se opposuit, di-  
cens, se in graecis exemplaribus concilij Niceni canonem istum  
invenire non potuisse. Inquisiverunt & alij, & cum nihil prorsus  
horum reperissent, gravissimas epistolas scripserunt ad Bonifa-  
cium, Zozyimi successorem, & Coelestinum, quos sevetè monue-  
runt, ut typhum illum superbiae deponant; contrariumq; cano-  
nem constituunt, ne cuiquam vel sacerdoti vel Episcopo ex A-  
fricâ aut alijs provincijs metropolitanis habentibus ad Papam  
appellare liceat; sed sit prima cognitio causarum Ecclesiastica-  
rum penes Episcopos & metropolitanos, secunda penes provin-  
ciale concilium, ultima penes universale; item, ut nullum jus  
deinceps Romano Papæ super Africanas Ecclesias concedatur.  
Ita nimirum Concilium tam illustre ambitionem quidem Epi-  
scoporum Romanorum repressit: ipsa tamen ambitio & pri-  
matus in Ecclesiâ affectatus hinc satis apertè elucescit.

XI. Is nec sequentibus temporibus omninò cessavit, sed poti-  
us majora subinde incrementa accepit, dum sequentibus seculis  
Episcopi Romani ob cathedram Petri, quam jactabant, alijs Patri-  
archis & Episcopis exteris persuadebant, ut si quid deliberatione  
dignum incidere, ad se referrent. Episcopos etiam alios, si quid  
minus rectè egisse viderentur, arguere, ipsisq; leges dictare non  
verebantur: alios, etiam in dissitis Ecclesijs, in Episcopatu suo  
confirmabant, & ut in causis contra Episcopos ad sedem Roma-  
nam (quam Apostolicam vocabant) appellarent, nec aliud,  
quam Episcopus Romanus censuerit, statuerent, ut habet *epist. 3.  
Sexti Papæ ad Orientales.*

XII. Interim verò non quieverunt Episcopi Orientales: sed non-  
nulli illorum cum Episcopo Romano de primatu concertarunt.  
Nam cum Constantinus Imperator, relictâ Româ, Byzantij se-  
dem imperij collocasset, quam etiam suo nomine Constantino-  
polin nominavit, primùm concilij Constantinopolitani Patres  
can. 3. decreverunt, ut Episcopus seu Patriarcha Constantino-  
politani Episcopo Romano per omnia equalis esset, eò quod illa  
urbs jam nova Roma esset. Etsi ergo Romanus Episcopus pri-  
mum

mum adhuc locum obtinebat, vehementer tamen invidebat Constantinopolitano secundum, metuebat enim, ne forte etiam primus sibi præriperetur, qui metus non omninò vanus fuit.

XIV.

Nam in Synodo Chalcedonenſi *Anatholius* Archiepiſcopus Constantinopolitanus orientales Eccleſias ſibi ſubjicere conatus eſt propter decretum Concilij Constantinopolitani, cui repugnavit Leo I. Papa Romanus, objecto Nicenæ Synodi canone, qui metropolitanis in ſingulis provincijs reliquos Episcopos omnes, ipſos verò metropolitanos nemini ſubjiceret: quod tamen dicis gratiâ à Leone dictum putatur, quia ipſe Leo poſtea, reſpreſſo Anatholio, Orientales & Africanas Eccleſias ſibi ſubjicere tentavit, quamvis irritò conatu.

XV.

Poſtea *Iohannes* quidam Cappadox è Monacho factus Episcopus Constantinopolitanus ſucceſſor Timothei, primum cum ob Eutyſchianam hæreſin, quam fovebat, ab Hormiſdâ Pontifice Romano per Legatos objurgaretur, Legatos malè acceptos dimiſit, & Pontifici renuntiare juſſit, Auguſtorum eſſe, non Pontificis, imperare, referente *Sabellico Enneade 8. lib. 2.* Deinde verò congregata ſynodo Constantinopoli, ſe œcumenicum Papam ſeu Patriarcham appellavit, idq; connivente Imperatore Mauritio, cui placuit, Episcopum ſuæ urbis hunc in modum ornari. Sed huic arrogantiæ graviter reſtitit Pelagius II. Pontifex Romanus, qui Episcopos à Johanne illo illicitè convocatos dehortatus eſt, ne quenquam Patriarcharum univerſalitatiſ vocabulo ſalutarent, additâ ratione, *nam ſi unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Idem poſtea fecit Gregorius Magnus, qui inter cætera ſcribit *libr. 67. cap. 9. tom. 2. Cognoscat fraternitas veſtra, Iohannem quendam Constantinopolitanæ civitatis Antiſtitem, contra Deum, contra pacem Eccleſiæ in omnium Sacerdotum deſpectum & injuriam, modeſtiæ ſuæ terminos exceſſiſſe, & illicitè in ſynodo ſuperbum ac peſtiferum œcumenicum, hoc eſt, univerſaliſ ſibi vocabulum ſuperâſſe. Vide centur. Magdaburg. 6. cap. 10.*

B

16. Hæc

## XVI.

Hæc contentio tandem primatum jampridem affectatum in Ecclesiâ Romanâ roboravit. Nam post mortem Gregorij Bonifacius III. circa annum Christi 606. successit in sede: qui hanc ad Phocam Imperatorem Mauritiij parricidam, hominem avarum, perfidum & crudelem detulit, qui pro Episcopo Romano sententiam tulit, quem Oecumenicum Episcopum totius Ecclesiæ esse decrevit, non tantum pecuniâ corruptus, verum, etiâ, ne Romani ab Imperio deficerent, & ut Papa parricidium approbaret, odiumq; eo nomine ab alijs conceptum facilius declinaret. Vide *Cent. Magd.* 7. c. 7. Hinc Abbas Urspergensis scribit: Regnante Bonifacio Phocas fecit Romam matrem Ecclesiarum. Et iterum: Bonifacij rogatu Phocas constituit, sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum: ad nã antea Constantinopolitana Ecclesia se scribebat primam omnium.

## XVII.

Ab eo igitur tempore in hunc usq; diem Episcopi Romani in Ecclesiâ de facto dominati sunt, ut Vicarij Christi, successores Petri, œcumenici Episcopi, & capita Ecclesiæ, quibus titulis superbiunt, suumq; dominatum Ecclesiasticum stabiliunt. Quem etiâ succedentibus tēporibus Ecclesijs græcis obtrudere conati sunt. Nam cū anno Christi 1439. Eugenius IV. Papa Romanus conciliū coëgisset, quod Ferrariæ inchoatum, Florentiæ continuatum fuit, cui etiam Johannes Palæologus Imperator Constantinopolitanus, & Patriarcha ejusdem loci Josephus interfuerunt; persuasit Græcis, ut hæc verba literis unionis, quas vocabant, quibus decisiva concilij sententia continebatur, inseri permitterent: *Definimus, Sanctam Apostolicam sedem & Romanum Pontificem in universum orbem terræ primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri, Principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.*

## XIX.

Etsi verò Imperator Palæologus spe subsidij occidentalis Ecclesiæ ad bellum Turcicum, quo tum premebatur, sententiã illam concilij manus suæ subscriptione confirmavit: dissentiebãt tamen Græci, volētes, ut de summi Pontificis nomine nulla pror-

sus in eis mentio fieret. Et quanquam vel tandem consentire coacti sunt: Marcus tamen Episcopus Ephesinus in dissensu suo permansit, unde & Papa petitum contra Turcæ auxiliū Imperatori derogavit, ut constat ex Actis Concil. *Flor. tom. 4. Concil. fol. 475. seqq.*

XIX.

Ita quidem Papa primatum suum Ecclesiasticum stabilire studuit: postea quoque politicum dominatū ac primatum affectavit, impetravitque in Ecclesiā occidentali, ita ut magnos Imperij Romani Dominos pedibus subjiceret, nonnullos etiam calcaret: Sed in Ecclesiā græcā tam felicem successum dominatus iste non habuit. Notum n. est, quale responsum tulerit Johannes XXII. Papa à Græcis, in quos imperium affectabat: *Potentiam tuam summam, inquit, in subditos tuos firmiter credimus: superbiam tuam summam tolerare nō possumus: avaritiam tuam satiare non valemus: Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* Sed de politico Papæ primatu alibi. Nostri instituti tantum est, Ecclesiasticum Pontificis Romani primatum considerare, ejusque nullitatem ex sacris ostendere.

XX.

Hujusmodi primatum in rebus Ecclesiasticis, qui omnium Ecclesiarum in toto orbe Christiano curam omni & soli Romano Pontifici committat, omnesque prorsus homines in spiritualibus ipsi subjiciat, quibus ipse leges ferre possit obligantes conscientiam, ut summus iudex controversiarum fidei, qui nec errare, nec hæreticus fieri possit, Pontifices ipsi sibi arrogarunt, cum Johannes XXII. Extravag. de major. cap. unam sanctā, statuit, *omnino de necessitate salutis esse, omnē humanā creaturā subesse Papæ Romano: &* Scriptores Pontificij magnopere approbarunt, quando *πῶς ἢ λέγει* unaque voce contendunt, regimen Ecclesiæ Monarchicū omnium esse optimū; quando Bellarminus & Stapletonus scribant, Papā absolutè supra conciliū esse, tantāque habere autoritatē, ut unumquodque dogma prius definire, & unāquamque hæresin prius damnare possit, ejusque doctrinā ac determinationem reliqui Episcopi & Concilij Patres semper ad amissim sequi teneantur: vide Bellar. *lib. 2. de concil. & Stapleton. Relect. princip. fid. cont. 3. quest. 6.* quando Albertus Pighius scribit *lib. 4. Eccles. Hierarch. cap. 8.* Papæ attributa est omnis potestas in regno Christi, ligandi & absolvendi, pbi-  
vult; quando Bellarminus scribit *lib. 3. de Eccles. cap. 5.*

Neminem posse, etiamsi velit, subesse Christo, & communicare cum Ecclesiâ cælesti, qui non subest Pontifici. Rationem addit, quia Christus ait: qui vos audit, me audit, & ut Christus est summum caput, quoad influxum interiorem: ipse enim influit in sua membra sensum & motum, id est, fidem & caritatem: ita Papa in Ecclesiâ militante est summum caput, quoad fluxum exteriorum doctrinæ fidei & Sacramentorum; summa, cum in concilio Romano patres acclamant Papæ: *Tu es omnia, & super omnia: omnis potestas tibi data est in cælo & in terrâ.*

XXI.

Hic est sublimis ille Primatus Papæ, qui ex ipso visibilem quendam Deum fecit in terris, qui ipsi unum dedit consistorium cum Deo, & idem tribunal cum Christo, qui statuta ejus evexit super epistolas Pauli, & decreta ejus super verba Evangelij, licet non contra mentem, ut gnathones aulæ Romanæ olim ipso non contradicente, adulati sunt: in quo primatu proram ac puppim Papatus ponunt, adeo ut Bellarminus scribat in præfat. libror. de summo Pontifice, *de summâ rei Christianæ agi, cum de Primatu Pontificis agitur: id enim queri, debeatne Ecclesia diutius consistere, an verò dissolvi & concidere.*

XXII.

Cadente ergo primatu Papæ, ipsam Ecclesiam Romanam cadere & dissolvi, fatetur Bellarminus: operæ præteritum igitur fuerit, primatum hunc solidis evertere machinis, ita Papatus ipse, invitis etiam Papicolis, sua sponte corruet. Tentabimus hoc in præsentiarum, quantum ratio thesium ferre poterit: Quo in genere ut ordine procedamus, *primum* ostendendum erit, nullum in Ecclesiâ primatum, qualem Pontificij fingunt, admittendum esse: *deinde* neminem Apostolorum talem primatum habuisse: *deniq;* minimè omnium Pontifici Romano eum concedendum.

XXIII.

1. *Membrum.* Primum membrum quod attinet, primatum, qualem Pontificij describunt, nulli homini in Ecclesiâ concedendum esse dicimus; *quia nullum ejus rei habemus à Deo mandatum.* Pontificij ple- tum admittendum esse. *riq;* primatum Papæ sui ex jure divino defendere vix audent, sed ad

ad concilij Niceni canonum & Imperatoris Constantini concessionem plerumq; confugiunt. Nullus certè eorum eò dementiæ adhuc devenit, ut Pontifici Romano tanquam vicario suo à Christo primatum immediatè demandatum esse dixerit: neque ullibi tale præscriptum Christi aut Apostolorum legitur, quo uni alicui imperandi potestas in Ecclesiâ, reliquis autem omnibus obtemperandi necessitas præcipiatur.

XXIV.

Deus primos in Ecclesiâ Novi Testamenti voluit esse Apostolos, sicut scriptum est: *quosdam quidem posuit Deus in Ecclesiâ PRIMUM Apostolos, deinde Prophetas &c.* 1. Cor. 12, 28. Nullus verò Apostolorum primatū habuit, ut postea probabo, nec habere potuit, aliàs duodecim fuissent primi, seu duodecim capita Ecclesiæ, quia de omnibus Apostolis Paulus dicit, ipsos *primū* fuisse à Deo positos. Multò minus Pontificem aliquem Apostolis præposuit, quia primo nemo potest esse prior, & dicendum fuisset D. Paulo, posuit Deus primum Pontificem, ut caput Ecclesiæ, deinde Apostolos, postea Prophetas.

XXV.

Quæ quamvis satis clara sint; scribere tamen audeat Bellarminus lib. I. *de Pontif. Romano cap. 9.* Pontificatum summum *D. R. SERTE* positum ab Apostolo his verbis: *posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos &c.* Nam *summa potestas Ecclesiastica* (inquit) *non solum data est Petro, sed etiam alijs Apostolis. sed Petro data est, ut ordinario Pastori, cui perpetuò succederetur: & mortuis Apostolis auctoritatem Apostolicam in solo Petro successore permansisse, & ipsum solum Apostolicum Pontificem, ejusq; sedem simpliciter Apostolicam vocatam fuisse &c.* Hæc ille.

XXVI.

Mira verò audacia, dicere, Pontificatum summum *D. R. SERTE* ab Apostolo positum, cujus nulla prorsus fit mentio, quemq; Esauita non nisi per longè peritas consequentias è verbis Apostoli elicere laborat. Nec verò probatio ullius est momenti. Summum Pontificatum quærit in Apostolatu. Atqui A-

postolatus fuit olim functio personalis & extraordinaria, quæ hodiè cessavit. Et si vera esset collectio Bellarmini, sequeretur, tot fuisse summos Pontifices simul, quot Apostolos. Nam quod Petri Apostolatum vocat ordinarium, cui succederetur, reliquorum delegatum, cui non succederetur, frustra est: quia hæc distinctio nullum habet fundamentum in Scripturâ. Omnes Apostoli erant ordinarij, & delegati Christi, nullus dependebat à Petro tanquam capite, omnes erant æquali dignitate & potestate summâ præditi, quod Bellarminus non diffitetur. Nullam ergo potestatem habuit Petrus in reliquos Apostolos, nisi potestate summâ aliquid superius dixeris.

XXVII.

Et si ergo Pontificij multa speciosè disputant de optimo regiminis modo, quem monarchicum esse volunt (quàm verè iam non dicam): nihil tamen efficiunt, nisi Deum ipsum hoc modo Ecclesiam suam regi voluisse, & uni alicui homini primatum ac potestatem in reliquos omnes injunxisse ostendant. Æquissimum enim est, ut summa rei Christianæ, qualis modus gubernandi Ecclesiam esse judicatur, non à iudicio hominum politicè de regimine discurrentium, sed ab ordinatione, præscripto ac voluntate ipsius Dei dependeat, qui solus omnium sapientissimè Ecclesiæ suæ hoc in genere prospicere potest.

XXIX.

Non tantum non mandavit, sed & expressè prohibuit Dominus huiusmodi primatum. Nam cum discipuli de eo contenderent, ut supra audivimus, ipse redarguit eos, ad humilitatis studium hortatus est, & quam aliena sit, ab ipsorum officio dominantium libido, graviter ostendit. Reges gentium, inquit, dominantur eis, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, sit sicut minimus, & qui præcessor est, sicut ministrator. Matth. 20, 15. Marc. 10, 24. Luc. 22, 25. Audis hic dominum in Ecclesia prohiberi, & submissionem etiam maximis & præcellentissimis suaderi. Quod Bernhardus probe intellexit, qui ad Eugenium Papam scribit lib. 25. de considerat. à Christo dominationem interdici, ministrationem indici.



## XXIX.

Ad hunc locum excipiunt Pontificij, Christum non omnē prohibuisse principatum in Ecclesiā, sed tantū politicū, seu tyrannicū (hæc n. duo ipsi in promiscuo habent): non n. vult dominari Apostolos & reges gentium, dominium tamen concedit, quia agnoscit inter ipsos majorem: sed dominium sine libidine dominandi, qualis est in Regibus gentium, qui tyranni sunt plerumq; imperantq; subjectis ut servis, & omnia referunt ad suum commodum, & gloriam, dicente *Bellarmino libr. 1. de Pontif. Rom. cap. 9.* Costerus dicit, Christum non tollere principatum in Ecclesiā, sed modum præscribere, quo velit superiores Ecclesiæ hoc suo principatu uti, humilitate videlicet & exemplo vitæ, non instar secularium Regum, quorum regnum est de hoc mūdo, sed instar patris, qui nutrit filios & castigat &c. *in Enchirid. cap. 3. ad object. 15.*

## XXX.

Frivola autem hæc est exceptio: Nam 1. Christus respondet contentioni discipulorum de primatu: contentio non erat de modo primatus, an quis illorum more politico debeat esse primus, sed de primatu ipso, quisnam inter ipsos primus sit, ut constat ex v. 24. *facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* 2. Exceptio est contra Christi responsū: illa enim dominatum in Ecclesiā (modò non sit politicū aut tyrannicū) & Episcopum conjungit: hic autem dominatum omnem ab Episcopatu separat v. 25. 3. Politicū & Tyrannicū dominatum Esauitæ habent pro synonymis. Nam more gentiliū Regum dominari illis est tyrannicè, & non more patris dominari; quasi nullus regum gentiliū instar patris dominatus fuerit, cum tamen Titus ob benefacta & humanitatem suam delitiæ generis humani appellatus fuerit, Christus ipse reges gentiū *εὐεργέτας*, benefactores nominat v. 25. & Ethnicus etiā poëta principes suos vocavit *ποιμένεις λαῶν*, pastores populi, qui subditos suos pascant atque nutriant: quod Esauitæ ipsis præter meritum derogant.

## XX XI.

Reges gentiū itaq; apud Lucam (*βασιλεῖς ἐθνῶν*) significant

cant in genere omnem Magistratum, qui sic appellatur, quia tum gentilis erat, & potissimum gentibus imperabat, & quia vox τὸ ἄνθρῳ plerumq; promiscuam multitudinem notat, ex quocunque populo collectam, ut *Matth. 24, 7. 25, 32: 28, 19. Marc. 11. 17. 13, 8, 10. Actor. 2, 5: 10, 34. &c.* De regibus igitur gentium, hoc est, de Magistratu dicit Christus, quod dominium habet, quod Apostolis, tanquam Ecclesiasticis personis derogat: nec addit quicquam de dominio tyrannico: neq; etiam verum est, omnem Magistratum tyrannicè, nullumq; prorsus, ut patrem, dominari. Exceptio ergo Esavitica nulla est, firmiterq; ex dicto Christi probatum. Apostolis omnem principatum in Ecclesiâ interdictum esse.

### XX XII.

3. In ordine Hierarchie Ecclesiasticæ à Divo Paulo non est positus; quod autem scriptura non notat, id negat, ait Tertullianus *libr. de Monogamiâ cap. 4.* Apostolus Paulus suis in epistolis bis Ecclesiasticam hierarchiam delineavit, quam Christus post suum in cælos ascensum in terris reliquit: nusquam tamen fit mentio summi alicujus Pontificis, & capitis visibilis Ecclesiæ, vicarij q; Christi. Ita enim scribit *1. Cor. 12, 28. quosdam posuit in Ecclesiâ Deus primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertio doctores &c. & ad Eph. 4, 11. Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores & Doctores ad consummationem sanctorum &c.* Rectè hinc colligimus, aut Primatum Pontificium tempore Pauli ignotum fuisse, aut Apostolum Paulum extremè invidum, qui de tam præclaro thesauro, & ut Bellarminus nominat, de summâ rei Christianæ Ecclesiam non erudit.

### XX XIII.

Respondet Bellarminus *libr. 1. de Rom. Pontif. cap. 9. primùm, summa potestatis mentionem facere, Paulum, cum nominat primo loco Apostolos, quibus omnibus quidem potestatem Ecclesiasticam datam ait, sed Petro, ut ordinario Pastori, cui succederetur; reliquis, ut delegatis.* Sed ad hæc supra respondimus *th. 25, 26.* Hic tantùm addo: Dicuntur hæc, non probantur: nusquam enim legitur, quod Petrus omnium Ecclesiarum curam habuerit, sed ita inter ipsam & Paulum  
con-

convenit, ut Petrus Judaicarum, Paulus gentilium Ecclesiarum  
curam haberet *Gal. 2. 8.* Absq; fundamento quoq; dicitur, quod  
Apostolica auctoritas, mortuis Apostolis, in solo Petri succes-  
sore permanferit, hoc est, in Pontifice Romano, ut Bellarmino  
placet. Incertum n. ad minimum, imò falsum est, Pontificem Ro-  
manum Petri successorem esse: falsum etiam, quod Apostoli in  
Apostolatu habuerint successores; nullos n. hodiè habemus A-  
postolos, hoc est, ejusmodi Doctores, qui in univèrsam mundū  
mittantur, immediatè à Deo edocti, & miraculis instructi. Præ-  
terea Petrum de gradu suo deturbat, dum ipsum ordinarium Pa-  
storem vocat: hoc n. officium apud Paulum in Ecclesiasticâ hier-  
archiâ quartum locum obtinet, cum tamen Petro, ut capiti &  
Pontifici, primus deberetur.

XXXIV.

Deinde ait Bellarminus, *Apostolum non delineasse locis allegatis  
hierarchiam Ecclesiasticam, sed tantum enumerasse varia dona, quæ sunt  
in Ecclesiâ.* Resp. 1. verum est, non delineavit Paulus hierarchiam  
Papalem hæc enim ei prorsus ignota fuit. 2. Non delineavit do-  
na Ecclesiæ, de his enim egerat *1. Cor. 12. 8. seq.* Sed administratio-  
nes & officia, in quibus illa dona exercentur. 3. Faretur Bellarmi-  
nus loco dicto, Apostolum Paulum mentione Pastorum & do-  
ctorum confuse totam hierarchiam ministrorum Ecclesiæ signi-  
ficare: quod si verum est, non pertinet ad eam Pontifex, quia nul-  
la ejus vel confusa vel expressa fit mentio.

XXXV.

Aliter respondet Stapletonus *lib. 6. de princip. fid. Christiana cap.  
16.* nimirum D. Paulum locis allegatis Pontificis non meminisse, eò quod  
eorum saltem ministrorum Ecclesiæ mentionem facere voluit, qui in verbo  
occupantur: Pontifex autem occupatus est in regimine Ecclesiæ. Viderit  
autem, qualem præficiat Ecclesiæ suæ œcumenicum Pastorem,  
talem videlicet, qui nec pascat, nec doceat oviculas Christi, hoc  
est, titulum habeat sine re, & cui cum hierarchiâ Ecclesiasticâ,  
qualem Paulus delineavit, nihil commune sit, sed qui planè pecu-  
liarem constituerit, quod etiam verissimum est. Constat autem  
ex propriâ Pontificij hujus scriptoris adsertione, primatum Pon-  
tificium in Hierarchiâ Ecclesiæ à Paulo delineatâ non esse posi-  
tum.

O

36.

XXXVI.

Non est necessarius, quia is, cui primatum illum tribu-  
unt, caput Ecclesiae, & vicarius Christi appellatur. Tali verò  
capite & vicario opus haud est: quia vicarius est absentis. Chri-  
stus autem non abest ab Ecclesia sua, neque caput ejus esse  
desit, sed semper praesens Ecclesiae dat incrementum & instau-  
rationem corpori suo, non per vicariatum, sed per ministerium  
Apostolorum, Prophetarum, Evangelistarum, Doctorum, Pa-  
storum, quos ipse post suum in caelos ascensum Ecclesiae dedit,  
& quibus in terra praedicantibus, ipse praesens ubique coopera-  
tur *Marc. 16, 29.* unde nemo ipsorum Christi vicarius, sed omnes  
cooperarii Dei appellantur *1. Cor. 3, 9.*

XXXVII.

Quin & jam adscensus in caelum, nullum hominem in  
locum suum substituisse legitur, cui primatum in Ecclesia com-  
mendaret, sed promissum patris se missurum ait super Apосто-  
los, hoc est, Spiritum Sanctum, Spiritum veritatis, qui ductu-  
rus sit eos in omnem veritatem, non absente Christo, sed cum  
ipsis manente, sicut ipse ait: *Hec locutus sum vobis apud vos manens,  
paracletus autem ille, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine  
meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quaecunq; dixero  
vobis Ioh. 14, 25, 26.*

XXXVIII.

Fatetur Costerus in Enchiridio, Christum Dominum non  
ita ex hoc mundo migrasse, ut abdicatam potestate, vel in aliqua  
resignata, successorem acceperit, cum ipse princeps pastorum  
maneat, sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchise-  
dech, eadem auctoritate & potestatis plenitudine, qua Eccle-  
siam mortalis & rediivus in terris rexit. Et tamen Christum in  
terram illam longinquam, patriam caelestem profectum, generalem  
ait, reliquisse Pastorem, qui universae Ecclesiae curam gerat, in omnes  
Pastores invigilans omnibus superintendens, & communi utilitati Ec-  
clesiae officii religione prospiciens. Et hunc non tam summum absolu-  
tumq; Pastorem, quam principis Pastorum vicariam dicendum ait, quem  
admodum absentibus Regibus designantur proreges, quibus universa ad-  
ministrandi regni provincia cum summa potestate conceditur.

Sed

Sed hæc omnia & *aliqua* *causant*, & iis, quæ modò dixi-  
mus, contrariis. Nam præsentem esse, principem Pastorum  
esse, sacerdotem in æternum esse, & tamen vicarium habere,  
qui universæ Ecclesiæ curam habeat, hæc non coherant. Vi-  
carius enim & prærex non datur præsentis Regi & ipsimet vi-  
gilanti, suoq; officio sufficienti, sed absentis, & officio suo vel  
ob locorum distantiam, vel ob alium defectum præesse non  
valenti. Qui ergò vicarium Christi expetunt, vel præsentem  
ipsum non habent, vel impotentia, aut negligentia alicujus in  
officio suo pastoralis accusant, miseroq; hominioni in Ecclesiâ  
plus tribuunt, quam JESU CHRISTO ad dexteram patris exalta-  
to, omnia ubique locorum potentem ac præsentem gubernanti.  
Ita non coherant ea, Christum eandem habere auctoritatem  
& potestatis plenitudinem, qua Ecclesiam mortalis & redivivus  
rexit in terris: & tamen ipsi vicarium addere, quasi ipse ad au-  
toritatis & potestatis suæ usurpationem non satis esset suffici-  
ens. Hac sanè ratione Christo nihil præter inanis relinquere-  
tur titulus, rei majestas, autem & imperium in hominem ali-  
quem mortalem, quem vicarium Christi nominant, non sine  
blasphemia in Christum Dominum, referretur.

Nam quæ de commodis ejusmodi œcumenici Pastoris  
addit Colsterus, nil nisi verba sunt. Ait (1.) *sine eo communem Rei-  
publicæ Christianæ salutem neglectam interire; nullam fore curam con-  
versationis gentium, propagationis fidei, reducendorum hereticorum in  
alienis terris, ubi vel nulli sunt pastores, vel desides.* Sed ubi Deus hanc  
curam œcumenicæ alicui pastori demandavit? absq; mandato  
autem talia sibi arrogare, præsumtuosæ temeritatis est; nemo  
enim sibi honorem sumit, sed qui vocatur à DEO, sicut & Aa-  
ron Hebr. 5. 4. Apostolis erat universalis cura gentium deman-  
data, qua in re nullos habent successores: omnibus n. Ecclesiæ  
Doctoribus, quanti quanti etiam sint, hodie dictum est: *pascite  
gregem, qui in vobis est* 1. Petr. 5. 2. alienas curare Ecclesias, est, *ἀλλο-  
τρίοις πορεύειν*, quod poenam incurrit 1. Petr. 4. v. 15. Et quid si  
œcumenicus ille pastor ipse fieret deses in officio, idem suis

potius (uti in isto honoris fastigio fieri potest) invigilaret commodis & voluptatibus? quis tum communem Ecclesiae salutem curaret? Hac sane ratione ex tali œcumenico Pastore exiguum commodum ad Ecclesiam redundaret.

X L I.

Ait (2.) Sine tali œcumenico Pastore controversias inter pastores de rebus fidei vel negotijs Ecclesiasticis exortas decidi non posse, quia nullus erit ordinarius Iudex, qui componenda pace atq; litibus discernendis partes dissentientes ad concordiam atq; consensum revocet. Atqui iudicium de tantis rebus uni saltem homini committere, valdè periculosum est, cum unus vir sit nullus vir, neq; ullus tantæ eminentiæ est, qui habeat privilegium infallibilitatis; omnis homo mendax dicitur Rom. 3, 4. vani sunt filij hominum, mendaces filij hominum, decipiunt ipsi ob vanitatem suam Psal. 62, 10. Deus est supremus ille Iudex & legislator unicus Iacob. 4, 12. qui solus ex plenitudine potestatis & sapientiæ suæ iudicat hæreticos & hæreses omnes: sed hoc in seculo per Scripturam, in novissimo verò iudicio per executionem. Hinc Scriptura vocatur λόγος & ἐπίκλησις Hebr. 4, 12. de qua Basilius scribit epist. 80. Divina Scriptura nobis iudex esto, & apud utros dogmata invenerimus divinis consona literis, his omni pacto suffragium veritatis tribuitur: Et Augustinus libr. 2. de nupt. c. 22. Istæ controversiæ requirunt iudicem: iudicet ergo Christus, iudicet cum illo Apostolus Paulus, qui & in Apostolo ipso loquitur Christus.

X L II.

Ait (3.) frequenter occurrere negotia, quæ omnibus Christi fidelibus denuncianda, quæ nisi ab uno Pastore imperari commodè & suscipi cum fructu non possunt: idq; exemplo novi Calendarij declarat, quod nullus principum secularium, ne quidem Romanus Imperator, promulgare potuisset, cum nullus universo terrarum orbi imperarit. Atqui unde probant, œcumenicum illum Pastorem totius orbis Imperatorem esse? Nunquam Græci, Armeni, Arabes, nunquam Moscovitæ, Ruteni & multi alij populi œcumenico Pastori in Ecclesiâ occidentali se submiserunt, sed imperio ejus masculè potius contradixerunt. Ut quæ ad universam Ecclesiam pertinent, ab universali aliquo pastore publicentur, opus non est; nihil enim obstat,

stat, quin in singulis diocēsis per suos pastores id fieri possit: omnium minimè autem necessarium fuit, ut novi Calendarij publicatio fieret ab œcumenico Episcopo; quidni enim per Imperatorem in Romano imperio, per principes Christianos alios in suis ditionibus fieri potuisset, si tanta ejus fuisset necessitas? Sed aliqua reali demonstratione docere debuit œcumenicus ille, se esse illum, de quo Daniel prædixit, quod existimaturus sit, se mutare posse tempora & leges Dan. 7, 25.

X LIII.

Ait (4.) Ad generalia concilia indicenda, & totius orbis Episcopos primates & Patriarchas convocandos, necessariam esse unius omnium superioris auctoritatem, cumq; nullus secularis Princeps, & ne quidem Imperator prestare possit, requiri Ecclesie prælatum, & sacrorum Antistitem unum, cujus omnia nutu & pia voluntati debeant inniti. At quàm latè hic prominet fastus ille Pontificius, quo œcumenico illi, quem vocant, pastori etiam Imperatorem Romanum cui Christus ipse, Petrus & Paulus se submiserunt, illi tributum dando, hic orando pro ipso, subjiciunt! Quis verò Oecumenico alicui pastori potestatem dedit convocandi œcumenica concilia? aut quis unquam ita ausus fuit omnibus in orbe Christiano prælatis præcipere, ut absq; ullâ tergiversatione ipsi omnes obedirent? Convocatio Conciliorum generalium penes Imperatorem est. Nam olim in populo Dei non Pontifex, sed magistratus populi, indicit synodos, ut Moses, Josua, Samuel, David, Achab, Aza, Josaphat, Ezechias, Josias; ad horum exemplum concilia convocarunt Christiani Reges & Imperatores, ut Constantinus Magnus concilium Nicensum, teste Eusebio *libr. 10. histor. Eccles. cap. 7.* Gratianus & Theodosius Constantinopolitanum, teste *historiâ Tripartitâ libr. 9. cap. 12.* Theodosius junior Ephesinum, teste *histor. Tripartit. libr. 12. cap. 5.* Martianus Chalcedonense non tantum convocavit, sed & ut præses rexit, ut ipse in præfatione concilij dicit: Justinianus quoque Senior in Concilio œcumenico quinto ordine refert, quomodo Constantinus Synodum Nicensam, Theodosius senior Constantinopolitanam, Theodosius junior Ephesinam, Martianus Chalcedonensem coegerit, quorum exemplū in congregandâ Synodo Constantinopolitanâ se quoq;

C 3

secu-

secutum ait: Falsum itaque est, absque œcumenico Pastore  
concilia œcumenica convocari non posse.

XLIV.

Ait (5) Uniformitatem Ecclesie perire, ni unus sit, qui unitatem  
contineat. Hinc tot esse sectas Græcorum, Armeniorum, Æthiopum  
hereticorum postquam à conjunctione Romana Ecclesie se separarunt.  
Dum enim unum caput non agnoscitur, & quisq; suo iudicio fretus sibi  
intelligentiam arrogat scripturarum, fit, ut quod cuius bonum videtur,  
id sequatur. Sed uniformitas Ecclesie in ceremoniis non requi-  
ritur: nam dissonantia jejunii non tollit consonantiam fidei.  
2. Uniformitas fidei & doctrinæ fundamentalis necessaria quid-  
dem est veris Ecclesie membris, & ea reperitur nostris in Eccle-  
siis, licet aliis in rebus dissensiones inter Doctores orta sint,  
quemadmodum & Patres in multis liberè dissentiebant, salvâ  
uniformitate fidei. Dissensiones enim illæ non concernunt  
articulos fidei fundamentales, sed vel res quæstionis, in quibus  
absque periculo salutis erratur, qualis erat dissensio Augustini  
& Hieronymi de facto Pauli arguentis Petrum, de quo vide  
contrarias epistolas apud Augustinum epistol. 8, 9, & 19. vel in-  
terpretationem textuum Scripturæ difficilium, ubi dissensio  
salva pietate esse potest, modo Spiritus Prophetarum prophetis  
subjecti sint: tales enim dissensiones etiam inter Patres, ipsos-  
que Pontificios scriptores sunt: vel dissensiones sunt de articu-  
lis fidei, sed non diu durant, sed audita meliore sententiâ ex  
Scripturâ, tolluntur, sicuti Petrus ad tempus dubitabat de con-  
versatione Judæorum cum gentibus, sed divinâ visione edo-  
ctus dubium deponebat, aliosque hoc in genere dissentientes  
erudiebat Act. 10. & 11. 3. Si qui in fundamento fidei aliquid  
morbidi sapiunt, hi non sunt membra Ecclesie veræ, sed ei ad-  
hærent tanquam ulcera corpori: oportet enim hæreses esse in-  
ter vos, ait Paulus 1. Corinth. 11, 19. 4. Unus quidam œcume-  
nicus Pastor dissensiones illas omnes impedire aut tollere non  
potest. Nam & ipse errare potest, nec dominatur conscientiis  
& cordibus hominum, in quibus error est. Ideo & Papatus,  
in quo



in quo talis œcumenicus esse putatur, plenus adhuc est dissen-  
sionibus istis, ubi Papa dissentit à Papâ, Concilium à Concilio,  
Doctor à Doctore, Monachus à Monacho, Franciscani à Fran-  
ciscanis, Thomas à Scoto &c. non de rebus quæstionis, sed fi-  
dei, ut de illibata conceptione B. Virginis, de peccato originis,  
de divortis, de accidentibus in Sacramentis, de Hæreticis, an  
sint intra vel extra Ecclesiam, & multis aliis, quas dissensiones  
œcumenicus ille tollere non potuit. Rectius ergo uniformi-  
tas Ecclesiæ ad dictam Scripturæ conformatur, in quâ unum  
habemus magistrum Christum, & in unâ ejus scholâ discipuli  
sumus, dicente Augustino tract. 16. in Iohannem.

XLV.

Ait (6.) nos ipsos necessitatem œcumenici Pastoris in Ecclesiâ vi-  
disse, ideo ad Patriarcham Constantinopolitanum confugisse, cui princi-  
pem in Ecclesiâ locum deferre statuerimus, si Augustanam confessionem  
suo calculo comprobans stabilivisset. At nihil aliud hoc est, quam  
de trivio petatum cavillum. Tubingenses Theologi superio-  
ribus annis cum Patriarchâ Constantinopolitano Jeremiâ in  
scriptis egerunt, Augustanam quoque confessionem in græcum  
sermonem translata ipsi transmiserunt, sed non eo fine, quasi  
pro capite Ecclesiæ ipsum agnoscere vellent, hujus enim rei  
nullum est vestigium, sed ut calumniis Adversariorum de Au-  
gust. Confess. in Græciâ sparsis occurrerent, & Patriarcham de  
summâ doctrinæ certiores redderent. Nominarunt quidem  
ipsum œcumenicum Patriarcham, sed non quod pro tali agno-  
scerent, verum pro more illius gentis, modestiæ causâ. Neque  
enim is, qui modeste & humiliter sese erga alios gerit, propterea se  
sua ipsorum judicio, ita, ut eo stare & cadere velit, submittit, quem  
admodum Theologi illi semetipsos declarant in scripto germa-  
nico contra Georgii Schereri catholicam glossam anno 1584.  
edito.

XLVI.

Hæc sunt, quæ pro necessitate œcumenici Pastoris assertit  
Esauita Costerus: quæ, quam inania trivolaq; sint, ex dictis li-  
quet. Nos pergimus, & talem œcumenicum primatum in Eccle-  
siâ non saltem non necessarium, sed & (quod quintum est  
pro-

probationis nostræ membrum) *periculosum* esse judicamus. Nam unius hominis iudicio stare in rebus fidei, servile est, coactionem fidei infert, & cum ruinâ Ecclesiæ conjunctum est: nam cadente illo œcumenico simul tota etiam Ecclesia cadit. Apostolus jubet nos captivare rationem sub obsequium Christi: Pontificij verò captivant eam sub obsequio sui œcumenici. Ipsi fatentur, Cardinales plerumq; illiteratum eligere Papam: Paulus II Pontifex odio erga bonas literas, literatos omnes nominavit hæreticos, & Romanorum liberos à studijs dehortatus est, satis esse arbitratus, si legere & scribere possint: & tamen magna cum insolentia jactavit, se omnia jura in scrinio pectoris sui habere, referente Platina in ipsius vitâ. Et res ipsa docet, œcumenicū illum, si quid de bonis literis gustavit, majorem legem civilium, quàm divinarum, majorem Reipublicæ, quàm Ecclesiæ habere notitiam: malè ergò agitur cum eo qui tali œcumenico fidei suæ summam committit.

XLVII.

Quin imò hac ratione sæpè oves lupo, & hortus hirco committitur. Nam insolentia & libido agendi pro lubitu, hominum in sublimitate constitutorum animos facile occupat, & ut Bernardus sermon. 33. in canticum conqueritur; *ipsi sunt in persecutione Christi primi, qui in Ecclesiâ videntur primatum diligere, principatum gerere.* Talibus ergo pro lubitu omnia gerentibus, dum nemo resistere audeat, Respublica Christiana vel multorum errorum labyrintho, vel certissimo persecutionum periculo objicitur: quæ omnia facile præcaverentur, si rerum Ecclesiasticarum summa, non uni cuidam commendetur, sed multi, collatis sententijs, de doctrinâ Apostolicâ conveniant, eamq; quilibet sub moderamine Inspectoris sui in Ecclesiâ demandatâ pro viribus propaget.

XLVIII.

Hæc insolentia non tantum religionis purioris periculum, sed & privatas simultates & odia Doctorum Ecclesiæ secum fert. Vix enim quisquam tam moderati esset animi, ut honorem tantum tam modeste ferrer, quin alios, quantumvis magni iudicij &  
acu -



secundum voluntatem suam facturus sit, & primatum affectans super omnem Deū se elevaturus & magnificaturus *Dan. 11, 36*. Et de filio perditionis legitur, quod elaturus se sit super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur *2. Thess. 2, 4*. Quæ consideratio permovet etiam Gregorium Magnum, ut epist. 19. statueret, *nullum unquam bonum ejusmodi titulo* (universalis Episcopi aut œcumenici pastoris) *usum esse, eumq̄, qui se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione suâ Antichristum præcurrere.* Et Chrysostomi vox est, quod in Jure Canonico laudatur *dist. 4. c. multi. s. quicumq̄; Quicumq̄, desideraverit primatum in terrâ, inveniet confusio- nem in cœlo, nec inter servos Christi computabitur, qui de primatu tra- ctaverit.*

L I.

2.  
Membrum.  
Inter Aposto-  
los nullum  
fuisse prima-  
tum.

Demonstravimus hætenus, nemini in Ecclesiâ primatum concedendum esse: sequitur, ut doceamus, *nullum ex Apostolis ta- lem primatum habuisse.* Pontificij hanc prærogativam soli Petro tribuunt, relictis reliquis omnibus. Petrum Ecclesiæ totius caput & principem loco Christi, ab ipso Christo constitutum vocat Bellarminus *libr. 1. de Pontif. Roman. cap. 10.* & non errorem simplicem, sed perniciosam hæresin nominat, negare B. Petri primatum à Christo institutum. Nostrum igitur est, ostendere ta- lem primatum nec penes Apostolos in genere, nec penes Apo- stolum Petrum in specie, unquam fuisse.

L II.

De Apostolis in genere non est nobis multum laborandum, cum Pontificij non negent, præter Apostolū Petrum, nemini pri- matū esse concessum. Testatur id Christus expressè loco supra lau- dato, quo dominium denegat Apostolis de primatu concertanti- bus *Luc. 22* Adstipulatur ipse Petrus, qui Doctores Ecclesiæ, quo- rum se sympresbyterum nominat, non vult *κατακυριεύειν τῶν κληρῶν*, dominari clero, eadem voce utens, quam Christus ha- bet *Matth. 20, 25.* cum nulli in Ecclesiastico munere licere docet, quod regibus in suos subditos liceat: non enim dominium, sed cura ipsis est commissa. Hoc omnibus Apostolis, eorumq̄ suc- cessoribus competit: ideo Bernhardus epist. 237. pulchrè scribit: *Verus successor Pauli dicet cum Paulo, non dominamur fidei vestrae, sed adjutores sumus gaudij vestri. Petri heres audiet Petrum dicentem: Non ut dominantes in clerum, sed forma facti gregis. Quis mihi det, antequam*  
moriamur.

moriar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli la-  
xabant retia, non in capturam argenti vel auri, sed in capturam anima-  
rum.

Quod Petrum in specie attingit, multis modis doceri pot-  
est, quod œcumenicus Ecclesie Pastor non fuerit. Primum e-  
vincit hoc scripturae silentium, nusquam in Scripturâ ita appellatur,  
nusquam primatus ei mandatur, nusquam in decidendis dubijs ad  
ipsius iudicium decisivum provocatur, nusquam alios ad conver-  
tendas gentes emisit, nusquam ipse sibi jus universale in alias Ec-  
clesias sumit, cumq; de his omnibus in Scripturâ agitur, nulla Pe-  
tri fit mentio, quæ omitti non potuisset, si ipse primatum inter  
omnes, & dominium in omnes habuisset. Quis verò putet Spiri-  
tum S. tam oscitanter summam illam fidei Christianæ ( ut Bel-  
larminus primatum vocat ) tractasse, ut planè nullam Petri  
primatus mentionem faceret?

Si dixeris, Petrum semper primo nominari loco, præ reliquis  
locutû, Matthæ electione proposuisse, primam in concilio Hiero-  
solymitano sententiã dixisse, à Matthæo primû nominari c. 10, 2.  
& quæ hujus generis alia sunt, quæ Costerus, Maldonatus, Salmeron,  
Bellarminus, & alij objiciunt, sciendum est, hæc Petro tribui, non  
potestatis, sed ordinis respectu. Primus appellatur Petrus Matt. 10  
in ordine nimirû Apostolorû, ut Augustino placet *serm. 13. de verb.  
Domini*. Et Hieron. scrib. lib. 1. cont. Jovinianû c. 14. *inter duodecim  
unû elegit, ut, capite constituto, schismatis occasio tolleretur, h. e. vitan-  
dæ confusionis causâ uni permissum, videlicet Petro, ut præ reli-  
quis loqueretur, & reliquorû vota & suffragia colligeret. Ideo au-  
tè Petrus primus numeratur in ordine, quia unus ex πρωταρχησις  
fuit, ut Theophylacto super c. 10, Matt. placet, & Senior, & Chri-  
sti præ cæteris amantissimus, plus n. cæteris dilexisse Dominum  
legitur Ioh. 21, 15. Eamq; ob causam etiam os Apostolorum fuit,  
& in conventu Apostolorum primum votum habuit, quæ  
omnia ordinem notant, non primatum aut potestatem. in reli-  
quos. Neq; verò semper primo loco ponitur: Sed Ioh. 1, 45. Andre-  
as ei præponitur. Gal. 2, 9. præponitur Jacobus. 1. Cor. 3, 22. Paulus &  
Apollus præponuntur. 1. Cor. 9, 5. Apostoli omnes præponuntur,  
& ipse extremum occupat. Ex prioritate ergò ordinis, & eorum,  
quæ inde dependent, vitiosa fit collectio primatus aut potestatis*

Existimant Pontificij, se primatum Petri reperisse in verbis Christi Matt. 16, 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalent adversus eam.* Et tibi dabo claves regni cœlorum &c. quem locum prolixè tractat Bellarminus *libr. 1. de Rom. Pontif. à cap. 10. usq; ad 14.* Summa huc redit, quod his verbis Petro sub duabus metaphoris promissum putat totius Ecclesiæ principatum, nimirum sub metaphora fundamenti ac ædificij, & sub metaphorâ clavium. Quod enim est in ædificio fundamentum, id esse ait in corpore caput, in civitate rectorem, in regno regem, in domo patrem familiæ: & cui traduntur claves civitatis, ille instituitur Rex, vel gubernator civitatis, qui, quos vult, admittat, quos vult excludat.

LV I.

Sed, 1. probatio hæc (si maximè concludat) tota est metaphorica, & primatum infert metaphoricum, 2. de Petro nihil infert. Nam primùm cum Christus dicit, *tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam;* nihil habet de regimine totius Ecclesiæ, sed saltem de fundamento, cui Ecclesia innitatur, quod adeò solidum esse affirmat, ut ne quidem portæ inferorum ei prævalere queant: potest autem aliquid fundamentum esse rei, quod tamen nullum habet regimen. Nihil etiam habet de regimine Petro commisso, quia non Petrum, sed seipsum, de quo Petrus modò præclaram confessionem ediderat, fundamentum illud nominat, cui super ædificata sit Ecclesi. Nam cum Petrus de Christo dixisset: *tu es CHRISTUS filius Dei vivi v. 16.* respondet CHRISTUS: *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam:* q. d. Tu Simon, à Petrà nomen habes (petra autem est Christus) & super hanc petram, quam confessus es, super hanc petram, quam cognovisti, dicens: Tu es Christus filiū Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam, super me ædificabo te, non me super te, interprete Augustino, *Serm. 13. de verb. Domin. & tract. 124 in Iohannem,* qui & hanc sententiam confirmat, & anteponit alteri, quæ petram de personâ Petri intelligit. *v. Retract. c. 21.* Sic & Lyra in hunc locum scribit: *super hanc Petram, quam confessus est, id est, super Christum.*

LVII.

LVII.

Quod hæc interpretatio vera sit, probatur: i. quia Christus Simonem non vocat *πέτρον*. sed *πέτρον*, inter quæ duo hoc discriminis est, quod Petra rupes sive petra est, *πέτρα* verò lapis sive saxum in rupe. Christus autem Ecclesiam ædificat super *πέτρον*, seu rupem immobilem, in qua Petrus lapis saltem sive saxum est, quem hac denominatione monitum vult Christus, ut lapis in hac rupe maneat, quæ est observatio Cyrilli *libr. 2. c. 2. in Iohannem*, Unde & Augustinus scribit; *Petrum à petra, non petram à Petro, quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur*. Et quanquam Cephas (qua voce Christus in Syriaco idiomate usus fuit) idem sit ac petra, seu rupe: quia tamen Spiritus Sanctus per Evangelistam sermonis Christi interpretem agens *πέτρον* reddidit, non *πέτρον*, apparet, ipsam non voluisse ex Petro petram ipsam, sed lapidem in hac petrâ facere, quamvis præstantem, quemadmodum & Sanderus *lib. 6. de visib. monarch. cap. 7.* verba Christi sic exponit: *Tu vocaberis Cephas, id est, lapis ingens*. Ideo in textu Syriaco, cum Cephas de Petro dicitur, additur affixum generis masculini, quia est nomen proprium: cum autem de petra repetitur (super hanc petram) habet affixum foemininum, quia est nomen appellativum: quod discrimen etiam latina & græca lingua in hoc textu diligenter observarunt.

LVIII.

2. Quis sit fundamentum illud, cui superædificata est Ecclesia, expressè docet Apostolus Paulus *1. Cor. 3. 11.* *Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus*. Hoc fundamentum vocat *πέτρον*. *1. Cor. 10. 5.* Petrus ipse vocat Christum lapidem illum, qui rejectus quidem sit ab ædificantibus, factus autem in caput anguli *Actor. 4. 11.* & lapidem vivum, lapidem summum, angularem, electum, super quo homines ædificentur. *1. Petri 2. 4. 6.* ubi sanè expressis verbis, ijsq; ex Scripturâ Prophetica *Pf. 118. 22.* petitisi inter Christum & alios homines omnes distinguir illum vocat quidem lapidem vivum, sed electum & angularem, rupem illam fortissimam; fideles autem homines, quibus seipsum quoque annumerat, lapides quidem etiam vivos nominat, sed huic lapidi ut fundamento unico superstructosi

& hac ratione, se à petra illa, cui super ædificata est Ecclesia, quàm clarissimè sequestrat.

LIX.

3. Præterea Christus de tali petrâ loquitur, cui Ecclesia tam firmiter inhæreat, ut ne quidem portæ inferorum ei sint prævalitura. Petram ergò solidâ, & contra omnè impetum ac tēpestem satis munitam intelligit. Petro verò tam firma solidaq; rupes non fuit, siquidem & ipse homo infirmitatibus & peccatis multis obnoxius, qui Christo se in hoc ipso capite, paulò post tam præclaram suam confessionem, opposuit, & proinde verba hæc acerbiora audiit: *Vade post me Satan, scandalum es mihi, non lapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum* Matt. 16, 23. qui Christum tempore passionis prorsus abnegavit Matth. 26, 70. qui deniq; quod non recto pede ad veritatem incederet, justam reprehensionem Apostoli Pauli incurrit Gal. 2, 11. Quæ omnia satis evidenter docent, longè rectius per hanc petram, cui super ædificata est Ecclesia, Christum ipsum seu confessionem Apostoli de ipso, quàm personam Petri intelligi. Quæ obijciuntur, levia sunt, & disputationis actui reservantur.

LX.

Deinde cum Christus dicit; *Tibi dabo claves Ecclesiæ*, neq; de primatu in Ecclesiâ, i. e. de potestate præcipiendi, puniendi, dispensandi, remittendi, condendi leges, congregandi concilia, definiendi dicendiq; sententiam, sancienti canones & abrogandi, ordinandi Episcopos, dispensandi bona Ecclesiastica &c. neque de Personâ Petri in specie loquitur. Nam claves Ecclesiæ significant potestatem remittendi & retinendi peccata, qua cælum aperitur pœnitentibus peccatoribus. Hæ claves non principatum & imperium, sed ministerium designant, quæ quidem divinæ sunt efficacitatis: quia cælum aperiunt vel occludunt, sed non illius potestatis, quàm Pontificij primatui suo affingunt. Ita Christus alibi exponit Matt. 18, 18. quæcunq; ligaveritis super terras, etiam ligata erunt in cælo, & quæcunq; solveritis super terram, erunt soluta quoq; in cælo. Idem repetitur Iohann. 20, 23. ubi secundum Pontificiorum sententiam, datur potestas in Mat-  
thæo



thæo promissa. Nihil ergo in verbis Christi de primatu in Ecclesia.

LXI.

Sed & nihil de Petro, quasi ipsi verbis istis primatus fuerit promissus. Nam claves Ecclesiæ non unius Petri sunt, sed Apostolorum omnium, quod Origenes super illa verba Matthæi fatetur: *Putas, inquit, soli Petro dantur à Christo claves regni cælorum, & nemo alius beatorum accipiet eas? Si autem commune est inter omnes, quod dicitur: Dabo tibi claves regni cælorum; quomodo non omnia, quæ sepius sunt relata ad Petrum, omnibus videantur esse communia?* Et res per se plana est. Nam claves illæ notant potestatem remittendi & retinendi peccata; ea verò communis est omnibus Apostolis: sicut enim hîc Petro seorsim dicitur, *quodcumq; ligaveris, quodcumq; solveris &c.* ita Apostolis omnibus in communi dicitur: *quæcumq; ligaveritis, quæcumq; solveritis* Matth. 18. 18. Hinc Ambrosius scribit in Pl. 38. *quod Petro dicitur, Apostolis dicitur: imò Basiliius hinc omnes Ecclesiæ ministros æquales facit: omnibus, inquit, Doctoribus eandem potestatem tribuit, cuius signum est, quod omnes ex æquo & ligant & absolvunt, quemadmodum ille, in vit. solitar. cap. 23.*

LXII.

Quod si ad solum Petrum ista verba spectarent, ipsiq; primatum aliquem in Ecclesia commendarent, minimè opus fuisset illâ Apostolorum disceptatione, quis ipsorum major esset: jam enim ex sermone Christi ipsis constare potuisset, Petrum etiam omnium primum maximumq; cui soli dixerit: *tibi dabo claves &c.* Nam quod Esauitæ dicunt, Apostolos non intellexisse Christi sermonem, nisi post resurrectionem, nimis dilutum est. Non utiq; intellexerunt, quod Christus non promisit; si verò promississet, cur non intellexissent, de quo tam crebrò serioque cogitârunt?

LXIII.

Quod autem soli Petro dicitur: *Tibi dabo claves &c.* inde nõ sequitur, quod solus ipse potestatem clavium habuerit. Non enim hæc Petro dicuntur in suâ personâ, in eâ enim Christi mortem negabat, sine qua clavium usus nullus est: sed quia totius Eccle.

Ecclesiæ typum gerebat, & reliquorum Apostolorum nomine loquebatur. Aliàs si soli Petro in personâ suâ datæ fuissent, ipso moriente potestas clavium cessasset in Ecclesiâ. Restat ergo, ut in Petro Ecclesiæ fuerint datæ, quæ fidelis custos harum clavium est, quas ministris suis semper communicat, & per eos, minimos maximos potestate earum utitur. Sed de petrâ & clavibus Ecclesiæ hoc loco satis.

LXIV.

Alio in loco primatum Petri quærun, de quo etiam pauca. *Ioh. 21, 17*, dicit Christus ad Petrum: *pasce oves meas*, unde colligunt, Christum soli Petro summam Ecclesiasticam potestatem in universam Ecclesiam tradidisse, qua de re prolixè agit Bellarminus *libr. 1. de Rom. Pontific. cap. 14, 15, 16*. Sed irritò conatu. Nam r. nihil agitur de summâ potestate in alios, sed de opere pastoralis, quod in pascendo consistit, hoc est, in prospiciendo ovibus de cibo, cibumq; subministrando, in ducendo & reducendo oves, in arcendis lupis cæterisque bestiis noxijs, in castigando, monendo, reprehendendo, emendando: quæ omnia non sunt dominorum, sed ministrorum officia. Et si Christus alibi jubet discipulos *μη κατανασθῆναι* *Mat. 20, 26*. hic sanè dum oves pascere jubet, non dominium aliquod & potestatem imperandi præcipere potest, nisi Christum sibi ipsi dixeris contrarium.

LXV.

2. Nihil agitur de solo Petro, quia ista omnia, quæ vox pascendi complectitur, etiam reliquis Apostolis & Doctoribus Ecclesiæ competunt, quos & synpresbyteros suos Divus Petrus nominat, & *ποιμαίνειν*, pascere gregem Dei jubet *1. Pet. 5, 1, 2*. ideò non unus saltem pastor, sed pastores plures Ecclesiæ dati dicuntur *Eph. 4, 12*. sub uno *δεξιπολιμνι*, seu principe Pastorum Christo *1. Pet. 5, 4*. Ad Petrum autem solum dicitur; *pasce oves meas*, quia, quod reliquis competebar omnibus, id Petrus facere jubetur nominatim, qui & ternâ interrogatione, *an Christum diligit*, officio suo restituitur, ex quo per ternam abnegationem exciderat.

LXVI.

LXVI. Nihil hîc habetur de universâ Ecclesiâ, seu de omnibus Christianis, doctoribus ac auditoribus, quasi in omnes imperium sit datum Petro. *Pasce oves meas*, inquit Christus, non omnes oves meas, sicut abbi jubet discipulos suos docere omnes gentes *Matth. 28.* omnes suas oves conjunctim Apostolis commendavit Christus docendas, non soli Petro, qui suam ex illis ovibus portionem habuit, quod ex conventionem eius cum Paulo constat *Galat. 2. 8. 9.* oves nimirum ex Judæis collectas: nam quod interdum gentibus etiam prædicavit, *Actor. 10. 34.* id extra ordinem factum est, sicut Paulus gentium Apostolus interdum etiam Judæos docuit. Hæc omnia probant, locum etiam illum nihil pro stabiliendo Petri primatu facere. Concludimus igitur primam nostram rationem, primatum illum Apostolo Petro nusquam præceptum, nusquam etiam ab ipso usurpatum esse. Cæteras rationes brevius perstringam.

LXVII. Secundo loco igitur evertit Petri primatum *omnium Apostolorum æqualitas*: quæ jam modò ostensa est ex eo, quod omnibus clavium potestas data, omnes oves Christi pascere iussi sunt. Et Apostolus Paulus Ecclesiam Christi fundatam ait super omnes Apostolos. *Ephes. 2, 20.* omnes missi sunt à Christo, sicut ipse à Patre *Ioh. 20, 21.* de omnibus scribit Apostolus Paulus *1. Cor. 4. 11.* Sic existimet nos homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et *v. 9.* puto, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos, &c. Hinc est notissima illa Cypriani sententia de unitate Ecclesie. *Christus Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuit, &c. item: Hoc erant utiq; & ceteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi & honoris & potestatis: & Hieronymi libr. 1. in Jovinianum: Ecclesia super omnes Apostolos fundatur, & cuncti claves regni cælorum acceperunt, & ex æquo super omnes Ecclesie fortitudo solidatur.*

LXVIII. Agnoscunt hanc æqualitatem Pontificii: sed Patres, cum de æqualitate Apostolorum loquuntur, de eâ potestate loqui  
E aiunt,

aiunt, qua in omnes alios utebantur, non autem de illa, qua in reliquos Apostolos, in quos solus Petrus auctoritatem accepit, atque in Ecclesiam universam officium Pastoris ordinarium. Atqui hoc est principium petere: docendum enim prius erat, Petrum auctoritatem in reliquos Apostolos, & ordinarium officium Pastoris in Ecclesia, quod reliqui Apostoli non habuerint, unquam accepisse vel usurpasse. Contrarium jam demonstratum fuit. Neque enim ulla alia Apostolis concessa est potestas, quam docendi, pascendi oves Christi, absolvendi, ligandi, & quaecunque ad ministerium Ecclesiae spectant, in quibus omnibus Petrus nullam praeter aliis prerogativam habuit: primatus autem & potestas in reliquos Apostolos nusquam concessa, nusquam ab ipso usurpata fuit.

LXIX.

3. *Petri submissio.* Nam submisit se potius Petrus reliquis Apostolis, id quod cum primatu ipsius & potestate ea, quam Romanenses ipsi affingunt, stare nequit. Ipse enim a caeteris Apostolis mittitur ad Samaritanos, ut confirmaret eos in fide, & Evangelii doctrinam ibi continuaret *Actor. 5, 14.* quod sane non est Primatis alicuius, qui summam potestatem habet in alios, nam aequalis ab aequali mitri potest; non autem superior ab inferiori. Admittit Petrus ex postulationem reliquorum Apostolorum de ipsius introitu ad gentes *Actor. 11, 1.* quam sane ferre non debuisset, si ipsorum Papa fuisset, sed coercuisset potius obloquentium temeritatem. Quod si id humilitatis Petri est, mirum, quod humilitas illa hodie tam rara est in Pontificibus Romanis, quorum pupillam tetigeris, si de quoquam ipsorum facto cum ipsis ex postulaveris. Nam ut habetur in *dist. 40. c.* Si Papa: *Papa culpas redarguere praesumit mortalium nullus, quod cunctus ipse iudicaturus, a nemine est iudicandus.* Sine Petri mandato Apostoli junctim Diaconos constituunt *Actor. 6, 2, 5, 6.* quod nec ausi fuissent, nec Petrus ipsis permisisset, si ipsorum caput fuisset. Submisit se potius reliquorum voluntati, cum quorum consensu multitudo collecta est, & de constituendis Diaconis deliberatum. In concilio denique Hierosolymitano Petrus non dictatorem egit, sed assessorem, qui neque solus sententiam

tentiam dixit, neque eam aliis imperavit, sed Apostoli cum senioribus congregati libera habuere vota, ideo in decreto concilii ita loquuntur: Visum est, Spiritui sancto & nobis, &c. *Actor. 15, 28.* adjungentes Spiritui sancto non Petrum, sed omnes in Concilio congregatos: quod tam clarum est, ut Bellarminus quoque fateatur *lib. 1. de concil. cap. 16.* in isto concilio interfuisse Apostolos, tanquam iudices ad definiendum, presbyteros autem ad consultandum. Ubi ergo hic primatus Petri, cui ius definiendi absolutè competat?

LXX.

4. *Pauli conjunctio.* Nam Paulus in primis Apostolo Petro non cessit, sed se æqualem ipsi iudicavit, in multis etiam ferè ut superiorem se gessit, re ita postulante, nunquam id facturum, si Petri primatum agnovisset. Æqualis Petro fuit 1. in munere prædicandi Evangelium, conventionem factam inter se & Petrum, quod ipse quidem cum Barnabâ intergentes; Petrus verò cum Jacobo & Johanne inter Judæos prædicaturus sit *Galat. c. 2, 9.* unde scribit v. 7. creditum sibi esse Evangelium præputii, sicuti Petro Evangelium circumcisionis. 2. In constitutione ministrorum Ecclesiæ: nam sicuti non solus Petrus, sed omnes duodecim Apostoli constituerunt primos Diaconos *Actor. 6.* ita Paulus & Barnabas constituerunt per singulas Ecclesias presbyteros *Actor. 14, 22.* Unde sanè colligitur, Paulum non saltem in doctrinâ, ut Bellarminus excipit, sed & in gubernatione Ecclesiæ se Petro æqualem fecisse: nam constitutio seniorum & doctorum ad gubernationem Ecclesiæ pertinet. 3. In omni denique munere Apostolico, quia *2. Cor. 11, 5.* scribit: existimo, nihil me minus fecisse, quam magni Apostoli, & *2. Cor. 12, 11.* nihil minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli. Digno quasi notat eum, qui Apostolorum princeps videri poterat, quisquis ille sit, cui nullâ in re cedit. Si enim ille miraculis excellit, se quoque ait, habere signa Apostolatûs sui, in signis, prodigiis & virtutibus, quorum exempla extant *Actor. 19, 9, 28, 5, 8, 9, &c.* Si ille excommunicavit alios, idem & ipse fecit *1. Cor. 5.* Si ille verbo aliquem punivit, ipse verbo Elymam magum excæcavit *Actor. 13.* Si ille ministros Ecclesiæ constituit, ipse quoque fecit hoc *Actor. 14, 22. Tit. 1, 5.*

Superiorem se quodammodo ostēdit Petro primū cum se  
 Apostolis omnibus in laboribus suis præferebat *1 Cor. 15. 10.* non ta-  
 men sine magnæ modestiæ indicio. *Abundantius, inquit, illis omnibus  
 laboravi, sed gratia Dei mecum,* ubi ne quidem Petrum excipit.  
 Nam prædicando Evangelium omnia implevit ab Hierusalem  
 usque ad Illyricum *Rom. 16. 19.* quousque nemo Apostolorum,  
 ne Petrus quidem pervenit. Plures etiam Ecclesias plantavit,  
 pluribus periculis defunctus est, plures epistolas scripsit, ut Au-  
 gustinus tractatu 30. in Johannem observavit. Quam ob cau-  
 sam etiam Bellarminus *libr. 1. de Rom. Pontif. cap. 27.* ipsi præroga-  
 tivam præ cæteris omnibus concedit: *Apostolus Paulus, inquit,  
 pluribus in locis plantavit fidem, quam ullus alius. Nam cæteri Apostoli  
 missi sunt ad certas provincias, Paulus ad omnes gentes, sine certa pro-  
 vincia denominatione, & ipse de se ait: plus omnibus laboravi.*

Deinde, Quod Petro in faciem restitit, quia reprehensibi-  
 lis erat, eò quod primum cum gentibus comedit eos etiam ci-  
 bos, qui in lege erant prohibiti, postea verò supervenientibus  
 Judæis, subtraxit se, timens eos, qui ex circumcisione erant,  
 quod Paulus in ipso reprehendit, quia simulavit, ac si lex Mosai-  
 ca de discrimine ciborum nondum sublata esset, & alios in si-  
 milem simulationem scandaloso exemplo induxit *Galat. 2.*  
 Nunquam hoc ausus fuisset Paulus, si Petrum primatum in Ec-  
 clesia habere, adeoque more Pontificio, ut judicem œcumeni-  
 cum irreprehensibilem iudicasset. Reprehensio ergo ista supe-  
 rioritatem aliquam Pauli infert, qualis nimirum etiam inter æ-  
 quales esse solet, objurgantis in delinquentem, quæ non cum  
 imperio & potestate conjuncta est, sed objurgantem in certo  
 quodam facto tantum meliorem facit delinquentem.

5. Tandem primatui Petrino non parum repugnat *pactum  
 eius cum Apostolo Paulo Galat 2, 8, 9.* quo ipse Judaicarum Ecclesia-  
 rum, Paulus verò gentilium Apostolus ac doctor constitutus  
 fuit. Si ergò primatus aliquis concedendus esset Petro, is œcu-  
 menicus totius orbis esse non posset, eò usque enim ex conven-  
 tione

tione se non extendit ejus Apostolatus, sed tantum terræ Judaicæ terminis includeretur. Quam ob causam Ambrosius in cap. 2. Gal. Petro primatum in Judæa concedit respectu Ecclesiarum à se ibi plantatarum, ita tamen ut Paulo relinquat suum primatum inter gentes.

LXXIV.

Neque verò existimandum est, pactum illud humanæ salutem opinionis fuisse, sed a Christo suam habuit originem, qui Apostolos suo monuit spiritu, ad quem quisque populum se convertere debeat, qui & conventionem hanc utriusque Apostoli in commodum Ecclesiæ suæ ita direxit. Iccirco Paulus scribit *Galat. 2. 7.* Sibi creditum esse Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis. Paulo autem creditum erat à Christo dicente: ego te procul ad gentes mittam *Actor. 22, 21.* Ergo & Petro à Christo creditum fuit, qui propterea & Petro cooperatus est in Apostolatu circumcisionis, & Paulo inter gentes v. 8.

LXXV.

Si dixeris, Petrum etiam gentibus prædicasse *Actor. 10, 34.* & Christum præcepto suo Apostolos ad omnes gentes mandasse *Matth. 28, 19.* respondeo, nihil id derogare posse conventioni Apostolicæ, qua Petrus datâ dexterâ se obstrinxit ad docendum Judæos: quod enim in domo Cornelii ad gentes ingressus est, id extra ordinem & ex peculiari Dei mandato factam, quo accersebatur Petrus Cæsaream, qui tum in vicino opido Judææ Joppen subsistebat *Actor. 10. 3.* Minimè autem contra pactum Apostolicum erat, si oblatâ occasione Petrus interdum extraordinariè ad gentes, Paulus autem ad Judæos excurreret.

LXXVI.

Mandatum Christi erat, ut Apostoli universi omnes docerent gentes, necesse non erat, ut singuli ad singulas gentes excurrerent, neque etiam quenquam hoc fecisse legitur: ideo ex instinctu divino orbem terrarum (ut putatur) inter se partiti sunt, unde in Ecclesia Romana Festum divisionis Apostolorum quotannis d. 15. Julij celebratum fuit. Relinquitur ergo Petrus in Judæa, & ne quidem illius Ecclesiæ œcumenicus Episcopus,

alias idem Johanni & Jacobo, qui cum ipso in Judæam missi sunt, competeret, ne dum totius orbis Christiani universalis Papa, quavis in Papatu frustra fingitur, ut hæcenus ostendimus.

LXXVII.

3.  
Membrum.  
Quod Papa  
Romanus  
non sit æcu-  
menicus Ec-  
clesiæ Epi-  
scopus.

Restat tertium instituti nostri membrum, ut nimirum, quàm impie, & absque omni solido fundamento Papa Romanus sibi primatum talem arroget, doceamus. Etsi autem Belarminus lib. 2. de R. P. c. 12. scribit, omnino adserendum esse, quod Romanus Pontifex pastor sit & caput totius Ecclesiæ, iure divino, nullum tamen jus divinum, quod Pontifici hoc largiatur, allegare potest: sed tantum dicit, sufficere, quod ipsa successio sit de iure divino, h. e. quod ordinarium officium Ecclesiæ universam cum summa potestate gubernandi non sit ab hominibus, sed à Deo immediatè institutum. Sed hæc est puerilis petitio principii. Talem enim institutionem Dei nondum probavit, & si maximè probare posset, nondum tamen Romani Pontificis & non alterius Episcopi successionem in isto officio demonstrasset. Destituti ergo jure divino Romanenses, ad decretum Concilii Niceni refugium habent, sed quàm dolosè, supra percepimus, th. 10, 11.

LXXIIX.

Cum autem Petrus ex opinione vulgi Ecclesiæ Romanæ Episcopus crederetur, Pontifices Romani hac opinione subnixi, se certissimos Petri successores jactarunt, & cum Petro primatum ac potestatem in reliquos Apostolos & universam Ecclesiæ à Christo commendatam crederent, ad se quoque successionis jure primatum hunc pertinere opinati sunt. Unde Gregor. de Valentia scribit lib. 7. analys. fid. cap. 11. *Romanum Pontificem Petri principatum quasi patrimonium quoddam à Christo constitutum in Ecclesiâ obtinere.* Hoc est fundamentum illud primatus Romani sabulosum & infirmum satis, cui tamen omnem molem Ecclesiæ suæ Romanenses substernunt.

LXXIX.

Etsi verò hæc opinio ex ijs, quæ hæcenus contra fictitium Petri primatum disputavimus, facili negotio subruitur: si tamen ostendatur, Papam cum Petro nihil omninò commune habere,



habere, fortius evertetur, & Papam de facto quidem primas in Ecclesiâ affectasse, de jure verò ne postremum quidem locum obtinere posse, liquido constabit.

LXXX.

*Primum*, an Petrus Romæ unquam fuerit Episcopus, ibiq; vitam finierit, vehementer dubitant etiam eruditissimi scriptores, ob causas non contemnendas: quomodo ergo, si hac de re nihil certi constat, Papa Romanus de successione Petri in sede, ut loquuntur, hoc est, de primatu Ecclesiæ & œcumenico Episcopatu, quem tanquam patrimonium Petri obtinere dicitur, infallibiliter gloriari potest?

LXXXI.

Causæ dubitandi fuerunt hæ: 1. Quia scriptura nihil expressè hac de re habet, quæ Pauli quidem commemorationem Romæ describit, Petrum verò Romæ fuisse Episcopum, ibidemq; in Episcopali suo munere mortuum, non meminit. Colligere quidem hoc inde vult Bellarminus, quia legitur in Actis cap. 28, 25. fratres, hoc est, Ecclesiam Christianorum fuisse Romæ, antequam Paulus eò veniret. Sed malè hinc infertur, Petrum Romæ fuisse Episcopum. Non necesse est, fratres illos à Petro fuisse conversos, potuit hoc ab alio discipulo fieri, quia Petrus non omnes convertit, qui conversi sunt ad fidem Christi. 2. Quo anno Petrus Romam venerit, inter Patres & ipsos Pontificios non præcisè constat, aliis adventum eius in secundum, aliis in quartum, aliis in quintum, aliis in decimum tertium annum Claudii, aliis etiam ad Neronis usque imperium referentibus. 3. Dubitant etiam, quis Petri successor fuerit, alii Clementem, alii Linum, alii Cletum proximè successisse putant. Quæ opinionum discrepantia haud immeritò totum hoc negocium de Episcopatu Petri Romano multis dubium & suspectum reddidit. 4. Quia Petrus ex pacto erat Judæorum Apostolus, ideò credibile non est, ipsum tam procul ad exteras gentes se contulisse, ibiq; Episcopalem sedem fixisse: hoc enim fuisset ἀλλοτριότητος species. 5. Paulus Apostolus Romam veniens Petrum nuspiam invenit, adveniēti occurrebant fratres usq; ad Appij forum & tres tabernas Act. 28, 15. Petrus ibi nuspiam apparebat,

bat, nec illo biennio, quo Romæ in vinculis fuit, ulla ei cum Petro fuit conversatio, cum tamen aliis Judæis aditus ad ipsum non negaretur. Ex postremis suis vinculis scribit epistolam posteriorem ad Timotheum paulò ante obitum, in qua conqueritur, solum Lucam secum misse, reliquos eum deseruisse 2. Tim. 4. *et* verisimile autem non est, Petrum, si Romæ fuisset, & quidem Episcopus, ipsum deseruisse.

LXXXII.

Regerit quidem Bellarminus *libr. 2. de Rom. Pontif. cap. 8* Petrum Romæ tunc non fuisse, sed alibi locorum Ecclesias constituisse. Sed ex nullo probato autore hoc dicit, neque indicare potest, ubi fuerit, nec abfuisse, probat. Oportuit omninò ipsum tunc adesse, si verum est, quod alias credunt, Petrum una cum Paulo captum & interfectum esse, quemadmodum in hymno canunt: *Quomodo in vitâ se dilexerunt, ita in morte non separati fuerunt.* Vide Bellarminum *lib. 2. de Rom. Pontif. c. 3.* Sunt hæ certæ rationes non contemnendæ, quæ adventum Petri Romanum in dubium vocant, nec de Pontificii de successore Papæ sui in sede Petri, atque sic in primatu Petri (si maximè is evictus esset) nihil certis, nec Papa cum Petro aliquid commune habet.

LXXXIII.

Sed esto: Petrus Romæ fuit, ibidem etiam docuit: quomodo verò inde sequitur, ergo ibi Episcopus & quidem œcumenicus fuit, cui reliqui omnes Romani Episcopi in hac dignitate succedant? Ex patribus certè non pauci Linum, alii Clementem, primum Romanorum Episcopum nominant, Petro verò & Paulo foundationem istius Ecclesiæ adscribunt. Ita enim scribit Rufinus præfat. in recogn. Clementis; *Linus & Cletus fuerunt quidem ante Clementem Episcopi in urbe Româ, sed superstite Petro, ut illi Episcopatus curam gererent, ipse verò Apostolatus impleveret officium.* Vide etiam Irenæum *libr. 3. cap. 3.* Euseb. *libr. 3. histor. Eccles. cap. 2.* Quod si omninò Petrus primus Ecclesiæ Romanæ Episcopus œcumenicus fuit, cur non templum Petri, sed Johannis Lateranensis in sedem Episcopalem electum fuit? quod templum Lateranense summum in toto orbe appellatur, teste Johanne de Turrecremata *libr. 2. summ. cap. 36.* Sunt hæ omnia

indicia

judicia non obscura, Papam de successione Petri in Episcopatu & primatu Romano frustra gloriari, cum eum Petrus nunquam habuerit.

LXXXIV.

Deinde non parum obest Pontifici, quod nullam doctrinæ Petri successionem monstrare potest. Jactant Pontificij materiale sedem Petri, quam Baronius *in anal. Chr. 45. sect. 11.* in basilica Vaticana adseruari scribit, & ipsam primam Pontificiam sedem Petri nominat. Sed quid hoc ad primatum Pontificis Romani? In sede illâ materiali (si quam habuisset Romæ Petrus) etiam scurræ & malefici, quin & mures & cati sedere potuissent: nisi ergo doceant Pontificii, Papam suum in doctrinâ Apostolicâ Petrum imitatum fuisse, de successione Petri in sede frustra verba faciunt. Nam, ut Nazianzenus orat. 31. in laudem Athanasii rectè scripsit: *Qui eandem fidei doctrinam profitetur, ejusdem quoque throni est particeps: qui autem contrariam fidem amplectitur, adversarius quoque in throno censerit debet: & paulò post: non successorem habendum esse, qui contrariam sententiam tuetur, sed qui eadem fide præditus est: nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati, & tenebras luci, & tempestatem tranquillitati, & dementiam prudentiæ succedere dicimus.* Ambrosius quoque expressè scribit *libr. 1. de pœnit. cap. 6. non habent Petri hereditatem, qui Petri fidem non habent.*

LXXXV.

Quàm egregiè verò conveniat Papæ cum Petro in doctrinâ, multis doceri posset, si ratio thesaurum pateretur. Sufficiant pauca; Petrus non nisi Jesum Christum novit, in quo salvemur *Act. 4, 12.* Papa Christo in hoc opere etiam adjungit B. Mariam, & alios sanctos, imò quotquot habent opera supererogationis. Petrus finem fidei vocat salutem animarum *1. Petr. 1, 9.* Papa fidei finem non immediatè facit salutem æternam, sed præmittit purgatorium, in quo fideles infernalibus flammis ad tempus sunt excrucianti. Petrus cultum idolorum vocat illicitum *1. Petr. 4, 3.* Papa verò Marcellinus fuit idololatra, qui gentium idolis sacrificavit, & Pontifices omnes adorationem sculptilium pro licito cultu habent. Petrus aurum & argentum

F

non

non habuit Act. 3. 16. Papæ verò id nunquam deesse potest, cum  
aucupia pecuniæ sat multa habeat. Petrus ex postulationes alio-  
rum admittit Act. 11. 3. Papa à nemine vult judicari. Petrus alio-  
rum Ecclesiæ Episcoporum sympresbyterum se vocat 1. Petr. 5. 3.  
Papa œcumenici Episcopi nomine superbit, neque parem, ne-  
que superiorem agnoscens. Hic nimirum tam præclarus in do-  
ctrinâ consensus est Petri & Papæ, unde meritò, scilicet, de suc-  
cessione Petri gloriatur.

#### LXXXVI.

Tertiò, si Papa Petri successor esse vult, in vitæ quoq; san-  
ctimonia ipsum imitetur, necesse est. Nam in Jure Canonico  
dist. 40. c. multi ex homil. 43. operis imperfecti. in Mattheum hæc verba  
citantur: *Multi sacerdotes & pauci sacerdotes, multi nomine, pauci  
opere. Videte ergo, quomodo sedetis super cathedram, quia non cathedra  
facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram, non locus sanctificat homi-  
nem, sed homo locum: non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus sa-  
cerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa, qui  
male sederit, injuriam facit cathedræ, ideoque malus sacerdos, de sacer-  
dotio suo crimen acquirit, non dignitatem. In judicio enim sedens, si  
quidem bene vixeris, & bene docueris, omnium judex es, si autem bene  
docueris, & male vixeris, tui solius condemnator eris. Nam bene viven-  
do & bene docendo populum instruis, quomodo debeat vivere; bene au-  
tem docendo, & male vivendo Deum instruis, quomodo te debeat con-  
demnare.*

#### LXXXVII.

Jam si vitam Pontificum Romanorum consideraveris, vix  
umbram aliquam sanctitatis, humilitatis, pietatis & similium  
virtutum Petrinarum in eâ reperire poteris. Fatentur ipsi Pon-  
tificii, Pontifices in hoc seculo ita vitam suam degere, ut facile  
appareat, non credere eos, restare aliam vitam post hanc, aut  
ullam mortuorum resurrectionem, ut *Panormitanus* affirmat.  
*Georgius Gothardus*, Canonicus Passaviensis, luce clarius esse scri-  
bit, contra *Heerbrandum*, plerosque Pontifices turpem & fla-  
gitiosam vitam traduxisse. *Platina* in *Benedicto I V.* nonnullos  
Pontifices monstra & portenta nominat, à quibus ambitione &  
largitione sanctissima Petri sedes occupata est potius, quam  
possessa.

possessa. Stapletonus cont. 1. quæst. 5. articulo 3. Relect. princip. fa-  
retur, enormia esse atque horrenda Pontificis Romani peccata  
atque flagitia: vix enim ullum peccatum cogitari posse (solâ  
hæresi excepta) quo illa sedes turpiter maculata non fuerit,  
maximè ab anno 800. & infra.

LXXIIIX.

Hæc Pontificii scriptores de Pontifice suo liberaliter fa-  
tentur, & tamen homini tam impio & profligatè flagitioso pri-  
matum in Ecclesiâ tribuunt, & infallibile iudicium, quia digni-  
tatem illam longè maximam ad solam nudam successionem in  
sede Petri adstringunt, adeò ut Costerus in Enchir. c. 3. p. 151. scri-  
bat: *tale donum ( primatum in Ecclesia ) non sanctitati, doctrinæ,  
aliive id genus qualitatis, dotibusve corporis, vel animi alligandum, sed ho-  
mini ipsi & officio: ut quisquis in eâ S. Petri cathedra sederet, seu pius,  
seu sceleratus, seu doctus, seu imperitus, seu nobilis, seu obscurus, dummodò  
ex officio pronunciaret, Christum haberet directorem. Et mox excla-  
mat: ô magnum DEI beneficium in Christianos collatum, quod cum  
summis beneficiis DEI merito conferatur, esse hominem in terris simi-  
lem nobis peccatorem, quem in gratiam nostri DEUS constituit verita-  
tis suæ testem, sententiæ interpretem, & Christiani populi doctorem, cu-  
ius linguam sic movet, ut non fallat; sermonem sic moderatur, ut erro-  
rem non doceat, calamum sic temperat, ut hæreses destruat: & hæc qui-  
dem non tam in hominis illius gratiam, quandoque fortassis improbi, fla-  
gitiosi, & nullius pensi, quàm Christi fidelium & electorum, in quos bene-  
ficia sua omnia retulit DEUS. Fatemur equidem, fieri posse, ut Petri  
successor idola colat, quod B. Marcellinum fecisse semel legimus, apud se  
forte de fide non rectè sentiat, adeoque Diabolicis artibus operam navet,  
quæ ut sunt hominis peccata, ita nobis DEI benignitatem clarissimè te-  
stantur, quod per tam putidos canales sua ad nos dona transfundit, hoc  
unum cogitans, ut commoda habeamus, cuiusmodi cumque tandem illi  
sint, per quos habeamus. Hæc Costerus.*

LXXXIX.

Cogitet verò mens pia, quàm impia hæc sint, & à scripturæ  
sententiâ prorsus aliena. 1. Nusquam legimus, Deum veritatis  
suæ testimonium, & sententiæ interpretationem alligasse ho-  
mini & ejus officio: sed de discipulis suis dicit Christus: *Si vos*



manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis Iohan. 8, 31. Ad sermonem ergò suum, hoc est, ad verbum divinitus inspiratum, veritatem cœlestem, mentisq; suæ sententiam adstrinxit. 1. Absque fundamento dicitur, Deum impios, idololatrias, diabolicisque artibus operam navantes ita instruxisse, ut non fallant, errorem non doceant, in hæreses non incidant, sed veritatem potius proponant, hæreses destruant. Nam Spiritus sanctus est, qui ducit in omnem veritatem Joh. 14, 26: 15, 26: 16, 13. Is verò non ingreditur animam malignam, nec corpus peccato pollutum. Sap. 1, 4. Et Christus dicit, mundum (h. e. impios) Spiritum S. accipere non posse Joh. 14, 17. & de mortaliter peccantibus scribit Johannes, quod Christum neque viderint, neque agnoverint 1. Joh. 3, 6. 3. Experientia contrarium testatur, quot enim Pontifices teterrimas hæreses fovisse & sparsisse leguntur, multi etiam planè athei fuerunt.

XC.

Marcellinus litavit idolis, teste Fr. Costero, Bartholom. Caranza, & Gratiano in Canon. dist. 21, cap. 7. Zephyrius prophetias Montani, Priscæ & Maximillæ approbavit, & bullis confirmavit, referente Tertulliano adversus Praxeam: Iulius I. Eutychniano furori viam stravit, dicente Gennadio in Catal. viror. Illustrium. Liberius XI. Arianus fuit, teste Athanasio in epist. ad solitar. vitam agentes. Anastasius II. Photino communicavit, teste Platina in Anastas. & adstipulante Gratiano part. 1. decret. dist. 19. c. Anastas. Honorius I. monotheleta fuit, quod non negat Caranza in summa Concil. conc. gener. 8. c. 2. Gelasius Donatista, ut ex eius epist. ad Elpid. constat. Iohannes XXII. Septuaginta unius errorum, & septem hæresium accusatur à VVilhelmo Occam. Iohannes XXIII. negat, animas beatorum visuras Deum ante resurrectionem, ut est in Concil. Constantinopolitano, in quo incarnatus Diabolus vocatur, ac damnatur. Leo X. Evangelium, fabulam de Christo appellavit, teste Balæo in ipsius vitâ, &c. Hi nimirum sunt illi, ad quorum personam & officium Spiritus sanctus infallibilitatem veritatis summamq; in Ecclesiâ potestatem, hoc est, primatum allegavit, tantùm, quia in cathedrâ Petri sederunt, quod non nisi amens crediderit.

Quartò, Papa ideò etiam non potest idoneus esse successor Petri in primatu, quia infelix & absurdus est interpres scripturarum sacrarum, quæ interpretatio pars non postrema est illius primatus. Volunt enim illum, quem caput Ecclesiæ visibile vocant, solum nosse sententiam scripturarum. Iccircò Bellarminus libr. 3. de verbo Dei cap. 3. scribit: *judicem veri sensus scripturæ & omnium controversiarum esse Pontificem cum concilio, & in eo omnes Catholicos convenire ait, quanquam falsò.* Audite autem unicum illum judicem sensus scripturæ. Cum Dominus dicit Levit. 19. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Et Paulus Rom. 8. *Qui in carne sunt, placere Deo non possunt,* Siricius Papa ep. 4. & Innocentius epist. 3. conjugium ibi prohiberi putant, ut est distinct. 82. c. *Proposuiisti.* Cum discipuli Christo dicunt: *Ecce duo gladij hic,* probat inde Bonifacius 11 X. Pontificem Romanum habere gladium spiritualem & temporalem, Cum Deus ad Jeremiam c. 1. dicit: *Ecce constitui te super gentes & regna, ut evellas & dissipes, ædifices & plantes,* probat Innocentius III. potestatem politicam esse sub Ecclesiasticâ. Quia Petrus appellatur Cephas, inde probat Anacletus Papa dist. 22. cap. 2. Petram esse caput Apostolorum, quia *κεφαλή* in græco significat caput. Verba Esaiæ cap. 10. *ad cuius confugietis auxilium? & ubi derelinquetis gloriam vestram?* refert Papa Symmachus ad Papalem dignitatem, q. ea sublata vel imminuta, nemo, quò sibi fugiendū sit, sciat, ut est in 2. part. decreti c. 2. q. 3. c. 14. Cum in lege præcipitur, ne ullum jumentum ante solemnem promulgationem legis montem Sinai ascenderet, in Papatu ita exponitur, quod homo indoctus & simplex præsumere non debeat ad subtilitatem scripturæ sacræ pertingere, ut habet glossa Innocentii libr. 5. decretal. tit. 17. c. 12.

His nimirum interpretibus sacrum codicem committas, quem D. Petrus dicit non *ιδίως* *ἑρμηνεύσας* esse, non privatae interpretationis. Hæ verò glossæ maximè sunt interpretationis privatae, quas vix per febrim aliquis somniaret: & tamen, si Romanensibus credendum, nihil iis sanctius est: nam ipsorum iudicio, de Papâ credendum est, ipsum illuminare posse alios, licet

ipse cæcus sit ut *Gretserus* dicebat in colloq. Ratisb. sess. 2. & ut *Gregor. de Valentia* scribit in *Analyfi fidei lib. 8. cap. 3. resp. ad object. 6.* sive Pontifex in definiendo studium adhibeat, sive non adhibeat, modo tamen controversiam definiat, infallibiliter certè definiat, atque ad eò re ipsà utetur auctoritate à Christo sibi concessà. An hujusmodi Margites & defidiosus Pontifex sede Petrinà dignus judicari possit, viderint Papales adultores.

X C III.

Denique, Papa nec ideò Petri in primatu successor esse potest, quia sibi geminum primatum arrogat, unum Ecclesiasticum, alterum politicum, qualem Petrus nunquam habuit, imò interdicit sibi esse novit à Christo *Luc. 22. Matt. 20.* cuius auctoritate dominum & ipse aliis interdixit *1. Petr. 5.* Si ergo omnis primatus Papæ à successione Petri pendet, & quidè quasi patrimonium quoddam à Christo constitutum, ut *Gregor. de Valent.* loquitur, necesse est, ut doceant Pontificii, quarum regionum Dominus fuerit Apostolus Petrus. Sed hoc facere non audent: probè enim sciunt, nec Petrum, nec Christum regem temporalem fuisse. Meritò ergò abstinere debet Papa à temporali primatu & dominio mundano, si Christi vicarius & Petri successor vult audire; aut si hoc minus placet, de tali saltem primatu, qui Petri sit patrimonium, gloriari desinat. Anceps enim ille primatus Papæ Petrum auctorem non habet.

X C IV.

Fatetur *Bellarminus lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 4.* Papam non habere ullam merè temporalem jurisdictionem directe jure divino, licet tam ipsi indirectam tribuat jure humano. Est tamen quidam *Franciscus Bozzius*, qui in suo de temporali Ecclesiæ monarchiæ tractatu *lib. 3. c. 1.* evincere conatur, etiam politicum primatum in temporalibus dominandi regibus terræ concessum esse Petro, & in Petro Pontifici Romano à Christo, quando *Joh. 21.* jubetur Petrus pascere oves Christi, quia *ποιμαίνει & βόσκει*, seu pascere, idem sit ac regere, tam in spiritualibus, quam temporalibus, & Pastoris nomen etiam regibus convenire, qui potentate coactiva utuntur, sicut *Cyrus* apud *Esaiam* Pastor vocatur. Cum ergò Christus Petro dixerit, *pascere oves*



oves meas, idem esse, ac si dixisset: rege oves meas, rege agnos meos, nemine excepto, cujusvis conditionis homines, regendos esse Petro, ipsiq; coercitivam, nisi obtemperare velint, demandatam esse curam, adeo ut ipsi Reges & Imperatores esse debeant Christi oves, & consequenter regendæ loco Christi a Petro, & ejus successoribus: in quam sententiam plura habet loco dicto.

XCIV.

Omnis autem argumenti vis atque robur dependet à verbo pascendi, quod semper regimen & jurisdictionem temporalem inferre putat *Bozzius*, sed sine ulla probatione. Procedit enim argumentum à non distributo ad distributum, hoc est, à particulari infert universale. Nam cum Cyrus & alii politici Principes vocantur ποιμένες λαῶν, pastores populi, concedo, pascere idem esse ac regere temporaliter, hoc enim postulat natura subiecti. Sed cum Ecclesiasticæ personæ pastores ovium Christi dicuntur, eadem significatio locum non habet, aliàs nō unus saltem Dominus esset in rebus temporalibus, sed omninò tot, quot sunt Ecclesiæ Doctores, qui Pastores expressè nominantur *Esaie 63, 11. Ierem. 3, 15. Mich. 5, 5. Eph. 4, 11.* & passim alibi. Confunderentur officia politica cum Ecclesiasticis, & exsertè contradiceretur Christo, qui Pastores Ecclesiarum non vult dominari more regum gentilium, seu mundanorum, quod Petro æque ac reliquis Apostolis dictum est, quodq; ipse aliis quoque interdixit, ut supra docuimus.

XCVI.

Et si verò facile concedimus, τὸ ποιμαίνειν καὶ βόσκειν, seu pascere, includere aliquod regimen & curam aliquam: non tamen notat hæc vox imperium summum, sive Ecclesiasticum, sive politicum, multò minus utrumque simul; sed cum de Doctoribus Ecclesiæ, adeoque de ipso Petro usurpatur, regimen tale, quale est Pastorum Ecclesiasticorum. Nam prædicata talia sunt, qualia à subiectis esse permittuntur. Aliàs omnes fideles essent reges temporales, & jus haberent super Imperatores & Reges, & unus alterius Imperator & Rex foret, quia totus grex

grex fidelium vocatur ποιμνιον θεῶν 1. Petri 8, 2. & de fidelibus omnibus dicitur Apoc. 2, 17. Qui vincit, habet potestatem in gentes, καὶ ποιμανεῖ αὐτοὺς, & pascet eos. Hinc Bernhardus de loco Petrino l. c. 5, 3. scribit ad Eugenium Papam lib. 2. de confid. domibus lupos, sed ovibus non dominaberis, pascendas, non pre-mendas suscepisti.

### XCVII.

Constat ex his, quàm elumbe sit argumentum Bozzianum ex voce pascendi ductum, quo docere voluit, Petrum, & in ipso Pontificem Romanum, à Christo primatum etiam politicum, seu regimen in temporalibus accepisse: in quo diutius laborandum nobis non est, cum ne quidem alii Pontificii id verum agnoscant. Et si omninò primatum illum temporalem, Papæ ad Petrum referre placeat, ostendant, necesse est, Imperatores & Reges, regna & opida, quibus optimus Petrus, qui aurum & argentum non habuit, multò minus arma vel exercitum, dominatus sit.

### XCIX.

Aliàs potestas Ecclesiastica & politica omninò sunt distincta. Illa utitur gladio spirituali, h. e. verbo Ephes. 4. hæc gladio corporali Rom. 13, 4. Illa versatur circa res spirituales & æternas, quæ ad salutem spectant; hæc circa terrenas & temporales. Illa est ministratoria ad præscriptum legum divinarum restricta; hæc est prætoria, habens potestatem ferendarum legum politicarum. Illa finem habet justitiam & pacem spiritualem; hæc justitiam & pacem civilem. Quæ sine dubio consideravit Paulus cum 2 Tim. 2, 4. scripsit; neminem, qui Deo militat, se negotiis implicare secularibus. Planum, opinor, est, & omnibus veritatis studiosis manifestum, Petrum ancipitem hujusmodi primatum, qualem Papa Romanus jactat, quiq; in jurisdictione spirituali ac temporali consistat, non habuisse, ac proinde Papam sui primatus originem ad Apostolum Petrum vanâ jactantia referre.

### XCI.

Cum ergo omnis illa moles primatus Romani (uti supra diximus) ab eminenti illo patrimonio & successione Petri dependeat:

pendeat: is jam sponte suâ concidit, & si verum est, quod pius ille & conscientiosus Papa Gregorius Magnus scribit *epist. 76. libr. 4.* nomen œcumenici seu universalis Episcopi esse nomen blasphemæ; & *epist. 194. libr. 6.* eum, qui se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione suâ Antichristum præcurrere, quia se superbiendo cæteris præponit: quilibet, etiam sine prolixiore deductione intelligit, quid secundum ipsius Papæ iudicium, quem, ut Papam, errare non posse credunt, de Papâ in istâ sui fictitii primatus elatione sit sentiendum.

C.

Nos unico & vero illo capite Ecclesiæ suæ, œcumenico Episcopo nostro & Principe Pastorum JESU Christo contenti, gratias agimus planè immortales Deo præpotenti, quod pro paterna sua cura semper adhuc dat Ecclesiæ doctores juxta cor suum, qui nos pascunt in scientia & doctrina, per quorum ministerium ipse regit Ecclesiam suam, sanam doctrinam propagat, hæreses extirpat, bonos mores & veram pietatem promovet, nobisq; omnibus de salutari animarum pabulo sufficienter prospicit. Eum submissè oramus, ut tyrannidem primatus Romani ab Ecclesiis nostris ad finem usque mundi procul esse sinat, nosq; sub uno capite Jesu Christo viva membra in rectâ fide & verâ pietate constantes conservet, donec hujus militantis Ecclesiæ ærumnis exempti in triumphante Ecclesiâ ipsum videamus à facie ad faciem, & cum omnibus sanctis ac electis sine fine ipsi acclamemus ex Apocal. 5, 13. *Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor & gloria, & potestas in secula seculorum, Amen.*

---

*Errata.*

Thef. 12, lin. 10. post *statuerent*, lege, *urgebant*, th. 15, l. ult. pro *superasse*, lege *usurpasse*, th. 16, l. 13. dele *ad*, th. 28, l. 11. pro 25, lege 2, th. 29, lin. 4. pro & l. ut, th. 69, l. 5. pro 5, lege 8.

G

GER-



**G** E R G A N E, qui calamo Babylonem de-  
struet olim;  
Non TIBI habebit ovans GRÆCIA  
(crede) parem.

*Ergo maeste animo constans: sic itur ad astra;  
Sicq; Dei atque hominum conciliatur amor.*

Jacobus Martini Log. & Phil,  
Pract. Prof. Publ.



A D

**D**N. ZACHARIAM GERGANUM  
Ithacensem Græcum, sub Præsidio D. D. Balduini pu-  
blicè contra Primatum Pontificis Romani  
Respondentem.

**Q**UOD temnunt Asia, Populi, quod Græcia  
tota,  
Russia, quodq; Afer pernegat, atq; Danus  
Quod Gothus, Suecusq; negat, Scotusq; Britanus,  
Germanos taceo, atq; innumeros alios

Pan-

*Pannonius veluti est, Gallus, quin Sarmata,  
quos Sol  
Plures Occiduis inspicit atq; Oriens  
Totq; Hi Christicole, si, quod dico, inficiantur  
Hoc ego qui possum dicere Catholicum?  
Ergo Romanum, mihi cum tam multa repugnent,  
Primum qui possum dicere Pontificem?  
At docet hac melius Balduinus, Praeside magno  
Istius qui tu detegis insidias.  
Detegis insidias: ego doctus discere Juris  
Naturaeq; finis, nil nisi trita loquor.  
Sacra alij tractent sublimia, de quibus unum  
Gracia te expectat, te jubar esse jubet  
Expetit, Expectatq; vices nunc Gracia justas  
Quasq; artes misit, postulat & repetit.*

Justinianus Heiner J.C. Imp.  
Spirens. Cam. Advoc.

—————  
Dn. ZACHARIAE GERGANO,  
Homini φιλοῦσῶ & in obpugnanda Pontificia su-  
perbia Graeco veracissimo, amico  
meo. S.

**I**mprium cur quæso negas concedere Papæ?  
An nescis patulam Pontifici esse gulam?  
Quot

Quot Parasitastros, quot inania Pondera Terræ,  
Quot scorta, & Ventres multivoros quot  
alut?

Cui tantis opus est, huic vendere & astra neces-  
sum,


TERRA satisfacere his sumtibus una ne-  
quit.

F.

Josephus Córberus, P. L. C.











Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

ORDINARIA

ATU

ECCLE-

TIGO

*proposita in inlyta Aca-  
ittebergensi*

PRÆSIDE

BALDUINO

*ofessore, Pastore &  
endente.*

VDENTE

AS GERGANO

N. Graco.

*horis locoque solitis  
April.*

EBERGÆ

NIS GORMANNI

DC XXII.

17

T 162 (A7)

76